

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

E libris
G. Butler
Coll. Exon. olim Soc.

Bentley, Richard

RICHARDI BENTLEII
ET
DOCTORUM VIRORUM
EPISTOLAE
PARTIM MUTUAE.

EX
EDITIONE LONDINENSI
CAROLI BURNEII
REPETIIT
NOVISQUE ADDITAMENTIS
ET
GODOFREDI HERMANNI
DISSERTATIONE
DE BENTLEIO EIUSQUE ED. TERENTII
AUXIT
FRID. TRAUG. FRIEDEMANN.

ACCEDUNT EFFIGIES R. BENTLEII ET I. G. GRAEVII.

LIPSIAE, 1825.
SUMTIBUS FRID. FLEISCHERI.

VIRIS SUMMIS

GODOFREDO HERMANNO

ET

FRIDERICO AUGUSTO WOLFIO

GERMANIAE BENTLEIIS

D. D.

FR.

AEQUO LECTORI
S. P. D.
Frider. Traug. Friedemann.

Bentleji epistolas a *Car. Burnejo* editas, pro eo ac par erat, diu multumque desiderarunt nostri homines, nec satiari potuerunt pertenui indicio *C. G. A. Erfurdtii* et *F. A. Wolfii*, quod alter e menstruo Britannorum libro *) petitum inseruit horreo litterario Regimontano **), alter in vita Bentleji elegantissime diligentissimeque scripta ***) retulit, libro ipso ab Anglo quodam peregrinante secum communicato et per breve tantum tempus inspecto. Incendebat eruditorum virorum studia ipsa exemplarium paucitas et caritas. Conf. *A. Meinekii*, qui unus facile nominari potest instar omnium,

---

*) Monthly Review, April. 1808.

**) Königsberger Archiv für Philosophie, Theologie, Sprachkunde und Geschichte; herausgegeb. v. *Delbrück*, *Erfurdt*, *Herbart*, *Hüllmann*, *Krause*, *Vater*. a. 1812. P. III. p. 348—364.

***) Conf. ejus Literarische Analekten, für alte Literatur und Kunst, deren Geschichte und Methodik. Berol. 1817. Vol. I.

praef. ad Menandri et Philemonis reliquias (Berol. a. 1823.) p. 3 sq. Nam Burnejus quidem non tam βιβλιογράφον se praestiterat, quam potius βιβλιοτάφον. Scilicet, quod *Ebertus* noster narrat *) auctore *Dibdino* **), editor non solum splendidissimis magnificentissimisque typis librum describi, sed etiam ducenta tantummodo exempla in amicorum usus fieri jussit. Fidem hoc superaret, nisi saeculi nostri vitio majora portenta et miracula quotidie ostenderet quodvis fere disciplinarum genus. Ita fit, ut raro minori quam septemdecim Guin. pretio venumdetur unum exemplum, nec nisi forte quodam amicorum Burneji, apud quos unice esse voluit, mortuo librisque ejus in publica auctione propositis. Mihi vero, quod alio loco ***) narravi, contigit esse tam felici, ut emendi facultatem, licet ingenti pecunia, invenirem. Quo facto non solum gratiam initurum me sperabam apud homines harum rerum studiosos repetitis tanti viri epistolis,

*) Lexici Bibliographici T. I. p. 160. nr. 1953.

**) Decamer. T. II. p. 390.

***) In *Seebodii* bibliotheca critica rei scholasticae a. 1824. Vol. VI. P. 4. p. 385 sqq.

verum etiam, quod fateri non pudet, jacturam rei familiaris, si modo, compensaturum.

Inscriptio autem libri ipsius haec est: „RICHARDI BENTLEII *et* DOCTORUM VIRORUM EPISTOLAE *partim mutuae. Accedit Richardi Dawesii ad Joannem Taylorum epistola singularis.* LONDINI, *typis Bulmerianis.* MDCCCVII." Forma est, quae in quarto dicitur, maxima, et praefationis loco praefixa schedula haec verba habet inscripta:

BENTLEII MAGNI
EPISTOLIS
IN LUCEM, HONORIS CAUSSA, PROLATIS,
LOCUM
INTRA PARIETES BIBLIOTHECAE TUAE ADSIGNANDUM
PETIT
CAROLUS BURNEY.

EDITORIS,
NEGOTIIS FAMILIARIBUS MAGIS IMPEDITI, QUAM UT HAEC STUDIA DIGNE POSSIT EXCOLERE, NOTAE CUM INDICIBUS BREVI SEQUENTUR.

GRENOVICI, IN COMITATU CANTIANO,
KAL. IUNII.
MDCCCVII.

Praeterea meo exemplari agglutinata est tabella salutatoria, in qua partim artis chalcographicae ope impressa, partim ipsius editoris manu scripta leguntur haec verba:

With Dr. Charles Burney's
respects
for
the Rev. Dr. Torkington
Greenwich. *Master*
of
Clare Hall.

Paginarum numerus, quem ego in margine curavi adscribendum, est 330. Burneji interea defuncti notis aegre mecum carebunt lectores; sed lenietur hoc desiderium vita Bentleji partim a *Wolfio* nostro scripta, partim a *Monkio* Britanno promissa. Sed ne quid deesset, quod lectorum commodis inservire posset, indices ipse addidi, in quibus conficiendis strenue humanissimeque me adjuvit *I. L. Elster*, collega conjunctissimus. Praeterea omni studio ac summa fide cum Bentleji, tum reliquorum verba repraesentavi, quanquam subinde Londinensium typographorum errores corrigendi erant. Quod ut rarissime nec nisi in rebus

exploratissimis facerem, suadebat ipsorum magnorum virorum reverentia, qui, quum in summis negotiis ardentissimisque litterarum studiis versarentur, non trepidarent circa verborum minutias in familiaribus amicorum sermonibus. Exemplo sit, quod p. 183. saepius recurrit *αὖτὰϱ* pro *αὐτάϱ*, quod, quum etiam in alia ejusdem epistolae editione *) ita scriptum reperissem, mutare mihi duxi religioni. Atque hac maxima mea cura accidit, ut nonnulla, quae quovis nomine debebant corrigi, intacta manerent, veluti quod p. 98. *Necorus* legitur pro *Neocorus*, p. 145. *Le Crose* pro *La Crose* sive *La Croze*, p. 152. in versu celebratissimo *secum* pro *suum*. Lacunas, quae hic illic animadvertuntur, profectas puto ab exstinctis litterarum ductibus. Verum quae Lipsiensis typothetae errore turbata sunt p. 130. non potui ferre, sed librario auctor fui, ut totum folium recuderetur. In epistolis Anglice scriptis satis, spero, talia providit vir clarissimus, *V. F. L. Petri*, gymnasii Martinei, quod in hac urbe est, praefe-

---

*) A dissertation upon the epistles of Phalaris etc. by R. Bentley. Ed. Nov. Lond. 1817. p. 441 sq.

ctus, qui pro ea, quam erga me et artes liberales habet voluntatem, facillime hoc onus sibi imponi passus est. Epistolarum autem ipsarum conspectum apposita exhibebit tabula. In quibus quot quantaeque res insint, sive scitu dignissimae, sive jucundissimae auditu, nolo pluribus verbis exponere, ne aut magnos viros praeter necessitatem laudare, aut meam qualemcunque opellam magni facere velle videar.

Quas subjeci inter additamenta epistolas postea editas in Museo Critico Cantabrigiensi, non uno nomine gratas exoptatasque lectoribus fore confido; quorum in usum Brunckianos Aristophaneorum versuum numeros apponendos curavi. Neque omittere poteram epistolam ad *Richterum* scriptam et *Wolfii* brevem adnotationem. Quod quanquam ipso non salutato feci, veniam tamen impetrabo a viro celeberrimo, qui et aliis in rebus facilem mihi se praebuit, et eo ipso tempore, quo eum aditurus eram, in Italiam et Galliam discesserat, ut balneorum salubrium usu affectae valetudini consuleret, quod bene et feliciter illi vertat. Nec magis debebat abesse *Hermanni* dissertatio, quae, quibus in rebus admirabilis

fuerit Bentlejus, quibus improbabilis, non leviter significat, sed, illustri exemplo proposito, certa ratione ac via caute clarissimeque demonstrat. Hic vero, quem nondum frustra quidquam rogavi, facile concessit opusculi sui repetitionem. Atque ut amplissimis duumviris gratum meum animum perpetuoque devinctum qualicunque modo ostenderem, nulla mihi afferri potuit occasio commodior praeclariorque, quam nominis inscriptio in fronte hujus libri, qui ob summam ingeniorum similitudinem unice ad eos pertinet.

Poteram sane plura addere a Bentlejo profecta, sed nolebam partim molem voluminis multa coacervando augere, partim, quae aliis in locis bene reposita sunt, huc referre. Sic *Boettigerus* *) epistolam ad Io. Millium scriptam, *Seebodius* **) annotata in Persium, Horatium, Silium Italicum, Ovidium in nostros fines ex Anglia traduxe-

*) Cf. Bentleji opusc. philolog. uno volumine comprehensa. Lips. a. 1781. p. 453 — 535.

**) Cf. ejus biblioth. crit. a. 1819. Vol.I. p. 895 sqq. 973 sqq. 1111 sqq. Vol.III. a. 1821. p. 226 sqq. 833 sqq. Vol. IV. a. 1822. p. 395 sqq. Vol. V. a. 1823. p. 790 sqq.

runt. Quas *Gaisfordius* *) publicavit emendationes ineditas in Ciceronis quaestiones Tusculanas, et si quid praeterea in lucem protractum fuerit, mox referemus in Miscellanea Critica. De emendationibus in Nicandri Theriaca vide quae diximus ad epist. LXXV. p. 225.

Bentleji ac Graevii imagines artis lithographicae ope quantum fieri potuit accuratissime redditae sunt; sed ut utriusque chirographum cognosci posset, satis erat ex integris epistolis, quas Burnejus exprimi aere jussit, solas inscriptiones referre.

Dab. Brunovici, d. 20. Aug. a. 1824.

*) Cf. novam Davisianae recensionis editionem. Oxon. 1805. typ. Clarend. 8.

TABULA EPISTOLARUM.

TABULA ADDITAMENTORUM.



RICARDUS BENTLEIUS.

Nat. Jan. XXVII. MDCLXII. | *Mort. Jul.* XIV. MDCCXLII.

Viro Magno Johanni Georgio Graevio
S. P. D.
Richardus Bentleius



JO. GEORGIUS GRAEVIUS.

Nat. Jan. XXIX. MDCXXXII. | *Mort. Jan.* XI. MDCCIII.

Viro Summo
Richardo Bentleio S. P. D. I. G. Graevius.

Ep. I.

RICHARDUS BENTLEIUS PRAESTANTISSIMO DNO. 1
JOH. GEORGIO GRAEVIO S. P. D.

Facile, uti spero, quae tua est humanitas, indulgebis desiderio hominis, qui a teneris unguiculis eruditionem tuam unice admiror et praedico, et nunc demum ad amicitiam tuam cl. Crameri opera viam affecto. Est quidam apud nos Edvardus Sherburnus, Eques Auratus, qui librum primum Manilii Anglice vertit, et commentario doctissimo auxit. Is abhinc annis aliquot apparatum Gasp. Gevartii ad Manilium ab ejus haerede emit Antuerpiae; mihique non 2
ita pridem, quem novam ejus scriptoris editionem parare inaudiverat, schedas Gevartianas perlegendi copiam fecit. Comperi autem virum cl. omnem operam in eo posuisse; non qui Manilii textum corrigeret vel illustraret, sed qui infelicem suam (mea quidem sententia) conjecturam de Theodoro Mallio Cos. quem Astronomici auctorem esse voluit, adversus Barthios

et Salmasios, et Tristanos et Possinos defen-
deret. Nihil tamen in medium profert, quod mo-
menti habeat quicquam ad opinionem suam sta-
biliendam, praeterquam quae dudum in lucem
ediderat in *Papinianis* et *Variis Lectionibus*.
Itaque cum toties repetita crambe nauseam mihi
et fastidium moveret; mirifice tamen recreatus
sum aureolis duabus epistolis, quae in isto char-
tarum fasce latitabant, quaeque celeberrimum
Graevii nomen ferebant inscriptum. Illud vero
me perculisse fateor, quod ad Gevartii senten-
tiam de aetate Manilii videaris accedere: atque
adeo, si confidentiae meae veniam dederis, liben-
ter te velim sciscitari, serione istud liberoque
judicio dixeris; an ut assentatiuncula ista (ut in
rebus levioribus fieri solet obsequio haud inho-
nesto) ejus gratiam conciliares: et si forte serio,
3 eademne nunc tibi ac tum olim stet sententia,
quibusque argumentis statuminata. Erat etiam
praeterea, quod me Adversaria ista versantem
non mediocri voluptate affecit, Dissertatio sci-
licet bene longa et perquam erudita de vita Fl.
Mallii Theodori Cos. autore, ut casu comperi,
Alberto Rubenio; cujus *Opuscula Posthuma*, te
obstetricante, in lucem prodierunt. Hanc meo
judicio minime dignam quae cum blattis et tineis
diutius conflictetur, curabo tibi mittendam; si

ejus editionem te procuraturum fore polliceris: et quidem vel una cum aliis quibusdam, vel etiam sola non incommode edi poterit. Vir doctissimus et humanissimus Johannes Morus Episcopus Norvicensis ultro tibi offert Lectiones Variantes in Libris Philosophicis Ciceronis, quas ex vetusto codice descripserat quidam in ora ed. Rob. Stephani in fol.; et ubi tibi cordi esse intellexerit, statim Amanuensi mandabit, ut omnes in chartam conjiciat; et sine mora tibi transmittat. Vale, humaniorum literarum decus et columen, *καὶ φιλοῦντα ἀντιφίλει.*

Londini in aedibus Episcopi Wigorniensis
4° Julii, 1692.

Viro praestantissimo Dno. Joh. Georgio Graevio
Trajectum ad Rhenum.

Ep. II.

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS VIRO INGENIO, 4
DOCTRINA, VIRTUTEQUE PRAESTANTI
RICHARDO BENTLEIO S. D.

Recens eram a lectione tuae, quam Malelae Chronicis subjecisti, epistolae, cum Rotterodami, quo me domesticum negotium vocarat, inciderem in Cramerum nostrum, ex navi, quae incolumem ex vestra beata insula retulerat, tantum quod egressum. Nihil tam cari capitis complexu mihi poterat accidere desideratius. Gaudium,

quod ex insperato illius occursu capiebam, cumulabant quae mihi statim de te narrare coepit. Plenus enim, ut sic dicam, tui, ita me ceperat pulcherrima illa tua disputatio, quae tam multa praeclara, tam multa recondita nos docuerat, ut totus in illa defixus de nulla re magis cogitarem, de nulla libentius loquerer apud homines non impolitos quam de te, de tuo ingenio et doctrina, ut videreris non modo in animo, sed et in ore meo habitare. Mirifice enim gaudeo, ubi video succrescere, qui rei litterariae fere collapsam dignitatem sustinere possint et propagare, cum paucis annis plerosque omnes amiserimus, qui eam solebant tueri. Cum Cramerus non longe post tuas promeret ac mihi redderet litteras, plane triumphabam, mihique gratulabar, te, quem tanti facio, mihi ad amicitiam tuam ultro, quod majorem in modum optabam, fores patefecisse, cum testificatione summa prolixae tuae in me voluntatis. Nullum gratius a magno Rege mihi deferri potuit congiarium, quam quod tu mihi detulisti tui amoris munus. Velim tibi persuasum sit, et exploratum, omnium curarum mihi semper futuram antiquissimam, ut amicitiam, quam auspicato, sic augurari libet, iniimus, tuear omni studio et officio. De Manilio illustrando te cogitare sane quam laetor.

Filius meus, quam fata mihi superiore hyeme tabe lenta confectum eripuerunt, Lipsiae hunc poëtam commiserat cum antiquis membranis; quas in publica illius Lycei bibliotheca, quam Paullinam vocant, repererat. Hujus codicis excerpta, quae nunc describuntur, faxo ut quam primum ad te perferantur. Sententiam Gevartii de Manilii aetate tantum abest ut probem hoc tempore, ut nuperius pro concione, cum de illo vate dis- 6
sererem, illam publice damnarim non uno usus argumento. Litteras, quas in scidis Gevartianis reperisti, adolescens scripsi, cum non nullas rationes, quibus opinionem suam firmare nitebatur, mihi recitasset optimus senex, quae tum pro captu aetatis mihi blandiebantur. In libro primo est elegans παρέκβασις de via lactea, quam fingit habitari a claris viris. Ubi agit de heroibus Atheniensibus, locus est parva menda foedatus, quae tamen in ridiculum errorem induxit magnum Scaligerum, qui in illo versu

Persidis et victor, strarat qui classibus aequor

Xerxem existimat intelligi. Num Xerxes, illud monstrum nulla virtute redemtum, Semonibus, et quidem Graecis accenseri, et Persidis victor poterit appellari? Scripsit Manilius,

Persidis et victor, stravit quae classibus aequor.

Themistoclem significat, qui Persiam mari vicit,
cum in pugna Salaminia maximam classem Per-
sicam, quae mare ferebatur texisse multitudine
navium, fudit. Sed hoc leve est, quod tu
rectius, credo, vidisti olim. Everardi Scher-
burni commentarium in primum librum Manilii
cum tu praedicas, non potest non multa doctrina
7 refertus esse. Eum ut videam mihi erit curae.
Ad hoc poëma dilucidandum multum credo con-
ferent Manethonis poëtae Graeci ἀποτελέσματα,
quae sunt in bibliotheca Florentina. Illa vidi
ante hos triginta annos apud Lucam Langerman-
num Hamburgensem, ex codice Florentino de-
scripta, qui jam dudum obiit. Operam tamen
dabo, num ex ejus possint erui bibliotheca per
amicos, si tu illa requiris. Alberti Rubenii dis-
sertatio de Fl. Mallii Theodori vita, simul mihi
tradetur, simul proela subibit. Hoc viri doctis-
simi et amicissimi manibus debeo, quos tu quo-
que tibi devincies. Nec hoc ignorabit posteritas.
Memini me tum apud Gevartium quoque videre
non nullas in Claudiani Panegyricum huic Mallio
dictum animadversiones non poenitendas, ut
mihi illo tempore videbatur. Ex quibus, si
illae sunt apud vos, quae tibi dignae videbuntur
esse luce possent seligi, quae Rubenii lucubra-
tioni subtexerentur. Sed hoc tui est consilii.

Num etiam cum his chartis deportatus est ad
vos commentarius Gevartii in Antoninum περὶ
ἑαυτοῦ, cui per omnem vitam insudavit?
Summe reverendo Episcopo Norvicensi si mea
studia, observantiam, et obsequium detuleris,
eique gratias egeris, pro acceptissimo dono va-
riarum lectionum in libris Philosophicis Cicero-
nis, multum te amabo. Gratum me cognoscetis 8
vestrorum in me et Tullium meritorum praeco-
nem. Orationes nunc exercent proela. Has
excipient, si fuero superstes, quae in Philoso-
phia elaboravit. Ad cuncta fere Ciceronis opera
perpolienda fui instructior quam ad haec Philo-
sophica. Itaque summo opere gaudebo, si per
vos mihi licuerit esse paratiori ab iis copiis, quas
ad hanc telam detexendam desidero. In edi-
tione nova Philostrati adornanda te totum nunc
esse gaudeo. Usus sum olim editione Juntina,
quam cum codice Britannico commiserat Fran-
ciscus Junius. Quae discrepantis ab editionibus
scripturae exempla mihi descripsi, si non habes,
usui tamen tibi futura putas, communicabo te-
cum ubi jusseris. Num etiam novae aut emen-
datae versioni accedent notae? De Hesychio et
Polluce alias. Callimachus filii mei, antequam
obierat, coepit typis mandari. Pergunt, sed len-
tissime. Separatim ceteris addetur luculentus et

uberrimus in hunc vatem Ezechielis Spanhemii commentarius. Cum tu Graecos omnes poëtas nocturna diurnaque manu versaris, nullus dubito, quin ex tuis adversariis insigne Callimacho posset ornamentum accedere, si per alias curas, quas turbare religioni duco, tibi ea liceret excutere. Sed fortasse aliquae venient feriae, ut
9 ille ait. Vale, vir excellentissime, et me amare perge. Trajecti Batavorum D. XVII. Sept. CIƆIƆCXCII.

Summo viro Episcopo Asaphensi, quem olim colo tanquam διοπετὲς ἄγαλμα, quaeso ut salutem dicas, ut et tuo Millio. Quando illius Chronologia, hujus Novum Foedus prodibunt?

Ep. III.

10 RICHARDUS BENTLEIUS
EXCELLENTISSIMO VIRO JO. GEORGIO GRAEVIO S. D.

Epistolam illam nostram, quae inficetum Malelae Chronicon tanquam operculum patina dignum, comitari visa est, tam mirifice (ut praedicas) tibi placere potuisse, mirerne magis nescio an gaudeam: at etiam insuper ad amicitiam tuam mihi aditum munivisse, id vero serio triumpho. Enimvero importunitati Millii nostri jam facile ignosco, qui assiduus flagitator invitum me et tergiversantem perpulit denique ingrato operi manum admovere. Amplissimum

enim laboris fructum percipio, quod Graevio paucisque aliis, quibus secundum Graevium plurimum tribuo, nugae illae non displicuerint. Atque adeo, ut intelligas me pro virili operam dare, ut recentem nostram amicitiam omni officio colam atque confirmem: Callimachum tua causa nuper relegi, et Adversaria excussi penitus; exploraturus quo pacto editionem, quam paras, sive ornare sive onerare possim. Et fragmenta quidem Callimachi altero tanto iis au- 11
ctiora quae Lutetiae prodierunt, et aptiori ordine disposita, et locis aliquot emendata suppeditare possum. Et profecto si nondum praela subierit ista operis pars, omnino tibi auctor esse ausim, ut exspectes paullisper, donec nostra videas, quae quamprimum, ubi jusseris, ad te perferentur. Operae interea typographicae in Spanhemianis exerceri poterunt. Pauculas autem castigationes, quae, dum Hymnos et Epigrammata percurro, sponte mihi nascebantur, una tibi cum Fragmentis curabo mittendas. Sed nihil, credo, est, quod a Filiò tuo τῷ μακαρίτῃ et cl. Spanhemio non sit occupatum. Extat Epigramma pag. 143. editionis nuperae:

Ὁ Λύκτιος Μενοίτης τὰ τόξα ταῦτ' ἐπειπὼν
Ἔθηκε τῇ Κεραστοῖ, δίδωμι καὶ φαρέτρην
Σάραπι τοὺς ὀϊστοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται.

Non opus est, ut Huetii et Fabrae conjecturas tibi referam, cui sine dubio liber est ad manum. Indicabo tantummodo, quo ipse modo locum corrigendum censeo. Itaque lego:

Ὁ Λύκτιος Μενοίτας τὰ τόξα ταῦτ᾽, ἐπειπών,
Ἔθηκε· Τῆ, κέρας τοι δίδωμι καὶ φαρέτρην,
Σάραπι· τοὺς δ᾽ ὀϊστοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται.

12 *Τῆ*, i. e. cape, ut *Τῆ, Κύκλωψ, πίε οἶνον*, et *τῆ τοῦτον ἱμάντα. κέρας* autem *τὸ τόξον*. Arcum, inquit Menoetes Cres, et pharetram tibi dedico, O Sarapi: sagittas vero nequeo; cum Hesperitae eas habeant, (hostes scilicet, quos ille sagittis confixerat). Quinam porro sint Hesperitae, docet Stephanus Byzantius: *Ἑσπερὶς, πόλις Λιβύης, ἡ νῦν Βερονίκη. ὁ πολίτης, Ἑσπερίτης. Καλλίμαχος ἐν τοῖς Ἐπιγράμμασι.* Noli dubitare, quin hoc ipsum Epigramma in integro Stephani opere hic laudatum fuerit. Itaque omnia tam perspicue restituta sunt, ut nullus dubitationi locus sit relictus. Atque actum est et conclamatum de commentitio Isidis nomine *Κεραστοῖ* vel *Κεραστῇ*. Quin igitur, quando idonea est occasio, et alius Deae, si Diis placet, ineptissimum nomen numenque de medio tollimus? Epigramma est apud Gruterum, pag. 1130.

autoris incerti, qui tamen fieri potest ut sit idem ipse Callimachus:

Μή μου ἐνυβρίσῃς ἁγνὸν τάφον, ὦ παροδῖτα,
Μή σοι μηνίσῃ πικρὸν Ἐπαγεσίμη.
Περσεφόνα τε κόρα Δαμάτερος, ἅμα παρέρπων
Εἶπον Ἀρατείῳ γαῖαν ἔχοις ἐλαφράν.

Hanc Epagesimam Scaligeri index in Dearum numero reponit. Quo autem jure, statim faxo, ut intelligas. Sic enim scripsit autor, five Cal- 13
limachus sive alius:

Μή σοι μηνίω πικρὸν ἐπ' Ἀγεσίλᾳ
Περσεφόνᾳ τε κόρᾳ Δαμάτερος —

Error est manifestus exscriptoris, qui in lapide *CH* legebat pro *ω*, et *MH* pro *ΛΑΙ* (i. e. *λᾳ*) ut et versu tertio *ΑΜΑ* legebat pro *ΑΛΛΑ*. *Μηνίω* autem corrigo, eadem plane sententia cum Homerico isto: — *μή σοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι.* *Ἀγεσίλας* denique est Pluto, de quo consule Hesychium et Etymol. M. Callimachus etiam memorat in Lavacris Minervae:

Καὶ μόνος, εὖτε θάνῃ, πεπνυμένος ἐν νεκύεσσι
Φοιτασεῖ, μεγάλῳ τίμιος Ἀγεσίλᾳ.

Quin et alius locus nunc commode venit in mentem, ubi non Deae quidem nomen, at trium

tamen Dearum arbitri mendose positum esse censeo. Apud Nasonem in Ep. Laodamiae sic hodie legitur:

Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.

Nihil variant Codd. Mti, neque annotatum hic quicquam video ab excellentis ingenii viro N. Heinsio. Sed obsecro te, cur Ducem vocat Lao-
14 damia, quem convitiis insectari et diris devovere instituit? cur autem cincinnatum adulterum tanta laude cohonestat? haec oratio nec in illum quadrare, nec ab illa proficisci potest. Sic igitur reponet, qui me audiet:

Duspari Priamide, damno formose tuorum,

(vel Dyspari). Animadvertis sine dubio imitationem Homeri tam manifestam quam elegantem, *ΔΥΣΠΑΡΙ ΕἾΔΟΣ, ἌΡΙΣΤΕ, γυναιμανὲς ἠπεροπευτά.* Et hoc quidem *ἀντίδωρον* habe pro loco Manilii feliciter restituto: quo de loco aliisque ibidem trecentis, necnon de ipso scriptore, spero, fore, ut ea proferam, quae et novitatis gratia et verisimilitudine tibi olim placebunt. Variantes Lectiones Paullini codicis mihi subministravit Joach. Fellerus Lipsiensis; adeo ut non sit opus, ut filii tui excerpta describantur denuo: sin autem jam descripta penes te habes,

non potest non mihi gratissimum esse, quod-
cunque a tam candida anima proficiscatur. Ge-
vartianam sententiam te repudiasse sane gaudeo.
Nihil inaudieram de Commentario ejus Anto-
niano: nec in has oras deportatum fuisse om-
nino crediderim. De Manethone isto merito te
amo, cujus una cum Manilio edendi cepi con-
silium; si ejus mihi copia fiat, et dignus modo
sit, qui prodeat in lucem. Cl. Gronovius se
eadem ἀποτελέσματα ex eodem Cod. Florentino 15
sua manu descripta possidere per epistolam me
certiorem fecit. Fac, sodes, pro gratia ista et
autoritate, qua et apud illum et amicos Lan-
germanni plurimum polles, ut etiam alieno be-
neficio me obligatum tibi habeas. Lectiones Phi-
lostrati ex Cod. Britannico (si Oxoniensis is est,
non Regius ex Bibliotheca S. Jacobi) magnopere
peto ut mecum communices. Rubenii Disserta-
tionem et Ciceronis Philosophica fidei Everhardi
Behagel, bibliopolae Batavi, commisi. Is nunc
Londini habitat, et pollicitus est, se sedulo cu-
raturum, ut uterque liber una cum his litteris
ad te perferatur. Variantes illas scripturas ad
Ciceronem quantivis esse pretii re ipsa compe-
ries: quo majorem habebis gratiam Reverendiss.
Episcopo Norvicensi: qui praeterea, ut sane
laborum et laudum tuarum studiosus est fautor,

depromet tibi ex instructissima sua bibliotheca Tan. Fabri Emendationes ineditas, et editionem antiquam Orationum; Venetiis MCCCCLXXI. Vale. Vigorniae D. XIV. Januarii 169$\frac{3}{4}$.

Clarissimo viro Joanni Georgio Graevio
Trajectum Batavorum.

Ep. IV. *)

16 VIRO CL. RICHARDO BENTLEIO S. P. D.
JO. GEORGIUS GRAEVIUS.

Redit ad te, quam mihi dono miseras, Alberti Rubenii Commentatio de Theodoro Mallio sane quam docta et polita. Pro qua, cum illam mecum communicare voluisti, non possum non tibi et meo et rei litterariae nomine gratias agere publice. Nam Rubenium, propter mirificas ingenii suavitates, ac doctrinae singularis elegantiam, colebam adolescens, quamvis et parentis Petri Paulli, ac patrui Philippi imagines, et, quam ipse gerebat, dignitas, qui Regi Hispaniae in Consilio, quod Belgicam juris Hispanici moderatur, erat a secretis, ut ceteris, sic mihi eum commendasset. Ille vero vicissim me peramanter complectebatur, ut etiam in extrema
17 valetudine voluerit suas de Re Vestiaria obser-

---

*) Epistola dedicatoria, praemissa Alb. Pet. Paulli Rubenii Dissertationi, de Vita Flavii Mallii Theodori. 1694.

vationes a me publicari. Hae longe perfectiores et cultiores prodiissent in lucem, ut adversariorum telis minus fuissent obnoxiae (quamvis non sine injuria in plerisque locis a disertissimo impugnentur viro, qui aegris oculis adspiciebat, alium in ejusdem doctrinae et argumenti, quod se putabat exhausisse, tractatione plus vidisse), si per vitam longiorem ei licuisset illas componere ac elimare. Nam mihi ex infinitis et indigestis scidis tanquam sparsa Sibyllae folia fuerunt colligenda, et consarcinanda. Quo minus autem ipse ultimam suis cogitationibus manum imponeret, acerba et nec opina mors in ipso aetatis maxime florentis robore intercessit, quam unici filioli a rabiosa canicula domestica leviter morsi ὑδροφοβία, et ingens ex illius obitu aegritudo contracta non longe post utrique parenti acceleravit. Hanc Dissertationem de Mallio, de qua nihil unquam, nec ex ipso, nec ex Caspare Gevartio, a quo tamen non tantum familiariter, sed et hospitaliter etiam post fata Rubenii non semel fui exceptus, audieram, in Gevartii gratiam concinnatam esse credo, ut illum a sententia, quam mordicus tuebatur, de Manilii, Astronomici auctoris, aetate, quem iste Theodorum Mallium fuisse contendebat, aliisque summa vi et sexcentis, ut praedicare solebat, argumentis 18

persuadere nitebatur, deduceret Rubenius. Nam hoc memini ex illo, cum Bruxellis eum salutassem, audire, sibi certum esse, a vero illam Gevartii opinionem longe recedere, idque multis rationibus cum ex Manilio, tum ex Panegyrico Claudiani, quem Mallio inscripsit, se posse adstruere. Plurimum igitur tibi debebunt manes Rubenii, si quis manium sensus est, qui tam egregiam ejus diatriben ex tenebris, in quibus absque te fuisset, perpetuo quasi sepulta jacuisset, in dias luminis auras protraxisti. In illa non solum Mallii, ac Ausonii, vita, sed etiam illorum temporum historia satis obscura illustratur, ac non nullae Scaligeri, Baronii, aliorumque doctissimorum hominum hallucinationes deteguntur, nec non quaedam scriptorum cum Graecorum, tum Latinorum in primis utriusque Codicis Theodosii et Justiniani loca mendosa feliciter sanantur. Nec manes tantum Rubenii, sed omnes humanitatis cultores, tibi pro hoc in se merito devinxisti. Hi nunc tuas curas in Manilium, Hesychium, aliosque scriptores desiderant et exspectant cupide. Nam eruditissima illa epistola, quam subnexuisti Malalae Chronicis, tam multa recondita nos docuit, ut incredibilem exspectationem tui ingenii commoverit. Nihil nobis longius est, nihil desideratius, quam ut illa videamus,

quorum spem fecisti, cum publice omnibus, tum 19
mihi de tuis in Callimacho Animadversionibus, quarum pulcherrimum specimen mihi misisti. Hanc ut propediem expleas, vir eximie, Deum precor, ut salvus, incolumis, felix, aetatem agas, meque tui studiosissimum amare pergas. Trajecti Batavorum. Id. Novemb. CIƆIƆCXCIII.

Ep. V.

JOA. GEORG. GRAEVIUS S. P. D. RICH. BENTLEIO, 20
VIRO DOCTRINA, INGENIO, VIRTUTE PRAECELLENTI.

Valde vereor, ne partam apud te gratiam effuderim, qui litteris tuis et amoris plenis et multo eruditionis sale perspersis tam diu debeo responsum. Caussa quidem tantae cunctationis fuit et typographi incredibilis tarditas in edenda, quam mihi miseras, Dissertatione Rubenii, et inania Hamburgensium amicorum promissa, quibus me lactarunt de die in diem, spe facta Manethonis. Sine his enim religio mihi erat litteras inanes ad te dare. Rubenium en tibi, qui triduo ex lentissimis operarum manibus est eluctatus. Non aegre feres, qua es singulari humanitate, me tibi hunc libellum dicasse, cui acceptum illum refero. Brevi habebis exemplaria plura cum Huetii carminibus, non multis quidem, dignis tamen, quae lucem adspicerent.

Illa cum invenissem apud profugum Gallum,
21 jussi typis mandari. Accedet dissertatio Toinardi de Commodi Imperatoris aetate. Manethonis res non est tam expedita. Nostri amici his in terris non negant, sed nec satis benigne promittunt. Hamburgenses Horbius et Maierus prolixe pollicentur, sed inexpiabilibus odiis incensi gladiatorio concurrunt animo, ut nec sua, nec aliena negotia curare possint, tantasque turbas excitarunt, ut tota civitas illa intestinis discordiis miserrimum in modum vexetur. Nihil tamen mihi curae studiique reliquum faciam, ut votorum compotes reddamur tandem. Haec quamvis sic se habeant, irascor tamen meae procrastinationi in persolvendo gratiarum munere, et pro Ciceronis Philosophicis, cum antiquo codice notae optimae commissis, quae mecum communicavit Reverendiss. Episcopus Norvicensis, et pro Rubenii diatribe. Cicerone nondum quidem sum usus, quia et ego et proela nunc occupantur in Orationibus edendis, ad quas expoliendas novis subinde instruor subsidiis. Philosophica interea custodiuntur a me nigris diligentius uvis, et bona fide sarta tecta remittentur Illusri Viro. Cui quantum pro hoc munere debeam, non vos solum, sed omnis posteritas, si supero, cognoscet. Si Fabri quoque mihi

poteris praestare emendationes, merita vestra in me et Tullium cumulabuntur. Nec desiderabitis in me grati vestrorum beneficiorum praeconis 22
officium. Hoc tamen non possum quin addam, Ciceronem et Rubenium mihi redditum fuisse demum, superiore mense Junio, sine ulla epistola, quae binis mensibus post demum mihi est tradita. Nihil tamen haec faciunt ad tam longae intermissionis scribendi culpam eluendam, cujus nisi vos mihi, pro vestra facilitate gratiam feceritis, nunquam mecum ipse redibo [in] gratiam.

In Callimacho non minus tarde procedunt, quam in Rubenio. Si quae in illo poeta observasti, ad nos curare dignaberis, magnopere laetabimur, et ne te poeniteat operae nobis et illi vati navatae dabimus operam. Quantum enim ornamentum huic editioni accessurum sit, si tot clavis purpureis late splendentibus a te excoletur, ex pulcherrimo hoc specimine, quod edidisti in his litteris ad me scriptis, licet nobis existimare. Fragmenta quidem non pauca collegit filius *ἀνέκδοτα*, plura Spanhemius, sed nulli dubitamus, quin tua sollertia sit omnium superatura diligentiam. Nam hac tua emendatione, in illo epigrammate, *Ὁ Λύκτιος Μενοίτας*, nihil certius, nihil pulchrius. *Τῇ* vidit quidem etiam Salmasius ad Ovum Simmiae,

p. 166. Sed alia non potuit videre: inde sine ullo sensu laudat κεραστοῖ. Non infelicior fuit tua sagacitas in mendosissimo et obscurissimo ve-
23 tere titulo apud Gruterum emendando et illustrando. Nihil potest fingi vero similius. Plaudentibus vero Musis et Gratiis in epistola Laodamiae Nasonis locum tanquam Χειρώνειον ἕλκος sic sanasti, ut nec Pyrrho de hac verissima restitutione dubitare possit. Haec omnia incredibile desiderium excitant tuas in omne scriptorum genus observationes legendi. Nam a nullius ingenio, ut nunc est, plura et magis recondita in hoc πολυμαθείας stadio nobis spondemus. Apud Ovidium in III. Amorum Eleg. 9, in omnibus fere ante Heinsianam legitur:

Et Linon in sylvis idem pater edidit altis
Dicitur invita concinuisse lyra.

Amicus noster in interpolando priore versu audacius, quam ejus pudor ferebat, versatus est. Aliorum conjecturae in illius Animadversionibus possunt videri. Ex vestigiis tam editorum quam manu exaratorum librorum censeo Nasonem dedisse:

Et Linon in sylvis idem Patareidis altis
Dicitur invita concinuisse lyra.

Pataram urbem Lyciae, in promontorio ejusdem
nominis sitam sacram fuisse Apollini, ut qui
inde dictus est Patareus Apollo, quis nescit?
Pomponius Mela I. 16, et Servius aliique dudum
id docuerunt. Idem Apollo, de quo in prae- 24
cedente versu agit, deflevit quoque in Patareidis
sylvis Linum. Avienus vocat *Patareidem arcem:*

Terminus hic cautes Patareidis eminet arcis:

Priscianus de eodem loco *Patareidem summam,*

At procul hunc Zephyrus finit Patareide summa.

Magnum illud promontorium fuit sylvosum.
Sed ignotius hujus loci nomen sive librariis sive
sciolis, ut fit, fraudi fuit. Theocritus in Idyl-
lio III. ϑερεστρίαν vocat *παραιβάτιν.* Nosti
esse, qui emendent *καταιβάτιν:* nosti qui
inepte interpretentur mercede conductam. Mihi
videtur *παραιβάτις* dici ab ordine et serie quam
observabant messores. Id dicebant *ὀγμεύειν,* et
ὄγμος ipse ordo messorum appellatur. Vide He-
sychium in *ὄγμος.* Itaque *παραιβάτης* est, qui
ordinem suum in metendo non tenet, qui ab aliis
relinquitur. *καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.* Novi in
re litteraria, quod narrem, vix habeo. Ex Sue-
cia his diebus mihi delata est Laudatio Gregorii
Nazianzeni a Theodulo Monacho adornata, qui
creditur esse Thomas Magister, ut et ejusdem
gratulatoria ad magnum exercituum ducem An-

gelum, ut et alia ad Logothetam Metochitem, et tertia ad Niphonem Patriarcham. Latine vertit
25 et edidit Laurentius Normannus, ille ipse qui anno superiore publicavit cum Latina versione Aristidis de Civili Oratione libros duos, et ejusdem Declamationem in ineptos Sophistas, et nuperius Alexandrum de Figuris Sententiae, Phoebammonis de Schematibus Oratoriis Scholia, et Minucianum de Sedibus Argumentorum. Haec ex ultimo Septentrione. Amplissimus Cuperus illustrat antiquas inscriptiones non ita pridem ex Asia huc perlatas. Tui Millii Novum Testamentum quando nostram sitim sedabit? Vale, Vir praestantissime, me ama, et in posterum crebras a me exspecta. Reverendissimo Episcopo Norvicensi rogo ut mea deferas officia. Iterum iterumque vale. Trajecti Non. Decemb. CIƆIƆCXCIII.

Ep. VI.

26 VIRO VIRTUTE DOCTRINAQUE PRAECELLENTI

RICHARDO BENTLEIO S. P. D.

J. G. GRAEVIUS.

Has litteras tibi feret nobilissimi Juri. Consulti, Gerhardi Feltmanni, qui juris Romani disciplinam olim in Groeningana Academia non solum docuit magno cum applausu, sed et mul-

tis eruditis commentariis illustravit, is nunc vero in Supremo Tribunali Frisiae est Adsessor, non degener filius, qui laudi sibi ducet et honori te praecipuum patriae tuae decus vidisse. Nec dubito, quin pro tua singulari humanitate comiter eum sis accepturus. Ante hos quatuor menses binas ad te dedi litteras, quas commisi Wetstenio cum fasciculo Poematum Huetii, Antistitis Abrincensis, et Diatribes Rubenianae tibi inscriptae, ad vos curandas. Nuper mihi scripsit, sarcinam illam librorum, in quam mei erant conjecti, diu jacuisse in portu Rotterodamensi, cum nec ferentes venti essent, nec commoda occasio recte et sine periculo illam ad vos 27
deportandi: nullum tamen se dubitare, quin tibi recte dudum hic fascis sit redditus, cui adjunxeram et epistolas et istorum libellorum exempla non nullis amicis destinata. Quaeso te ut tribus verbis mihi significare digneris, num bene curata haec sint. Gratias tibi egi et etiam nunc ago pro elegantissimis tuis emendationibus in Callimacho, Nasone, veterique illo Epigrammate Graeco obscurissimo. Si quae ad Callimachum promisisti praestiteris, cognosces certissimum tuorum meritorum praeconem. Tarde procedit cultissimi illius poetae editio, ut sat cito ad nos perventurae sint observationes tuae,

si occupatio tua tulerit, ut iis describendis possis vacare. De Tullii Orationibus, quae nunc exercent praela, pluribus egi tum in iis, quas dixi, litteris. Nunc non licet mihi esse prolixiori, cum eximius juvenis accinctus sit itineri. Quae spes tui Hesychii, Philostrati, et aliorum, quae moliris, operum? Vale, vir praestantissime, et ama, qui te superis aequat, Graevium. Trajecti Batavorum ὡς τάχιστα. postridie KL. Maii CIƆIƆCXCIV.

Illustrissimo Episcopo Norvicensi quaeso, ut mea deferas officia.

Ep. VII.

28 RICH. BENTLEIUS

VIRO EXCELLENTISS. JOHANNI GEORGIO GRAEVIO

S. P. D.

Litteras tuas favoris erga me et benevolentiae plenas una cum Rub. Dissertatione, quam me inscio nomini meo dedicatam voluisti, aliisque aliquot libellis, heri demum post moram semestrem accepi. Tu vero homo urbanus es, qui cum tanto me beneficio ornaveris, ut parem gratiam referre posse non sit ut sperare audeam, culpae tamen nescio cujus te ipse insimulas: veroque vultu, si fas est credere, deprecaris, ut tibi ignoscam. Id quidem nimium facete. Sed

mihi vero serio vereor, ut deprecatore sit opus:
quod Callimachi Fragmenta, jam olim pro-
missa et parata, nondum ad te miserim; ita ta-
men parata, ut prius altera vice describi de-
beant, quam mittantur. Atque adeo id mihi
vehementer dolet, quod nunc, cum maxime
velim, nulla est describendi copia; ita spatiis
iniquis conclusus sum: nam intra triduum om- 29
nino ex hac urbe me proficisci oportet, unde
haud nisi post menses aliquot reverti licebit.
Una duntaxat spes est, typographos vestros tam
magnos, ut praedicas, cessatores esse, ut Frag-
menta nostra vel proximo autumno tempestive
satis ad te ventura sint. Interea propositi nostri
rationem hanc accipe, ut dispicias operaene
pretium fuerit opellam nostram tam diu exspe-
ctare. Quanquam, ne tam diuturnam moram
nimis aegre ferat Typographus, in Hymnis et
Epigrammatibus excudendis exerceri poterit prae-
lum, notisque filii tui *τοῦ μακαρίτου*, et alio-
rum: quibus emendationes nostrae, quia pau-
culae sunt, ad calcem commode addi poterunt.
Sed Fragmenta ne attingi quidem velim, ut in
editionibus Vulcanii et Fabrae extant; verum
omnia ex nostris schedis eoque, prout ipse dis-
posui, ordine publicari. Primum, quae ex certo
aliquo libro citantur, *Περὶ Ἀγώνων, Αἰτίων βιβ.*

ά, β', γ', δ'. Βράγχος, Γαλατεία, Ἐθνικαὶ ὀνομασίαι, Ἑκάλη, Ἐλέγεια, Ἐπιγράμματα, Θαυμάσια, Ἴαμβοι, Ἶβις, Κυδίππη, Νόμιμα Βαρβαρικά, περὶ Ὀρνέων, Πίνακες, Πίνακες Νόμων, Πίναξ τῶν Διδασκάλων, Πίναξ τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων, Πίναξ παντοδαπῶν συγγραμμάτων, τὰ πρὸς Πραξιφάνην, Ὑπομνήματα ἱστορικά, Χωλίαμβοι. Deinde quae ex opere innominato petuntur: quae altero tanto plura, quam nunc sunt, et meliori ordine collocata, et innumeris locis emendata proferentur in lucem. Illud etiam monendus es, nova illa Epigrammata, quae in editione Parisiensi nuper comparuerunt, aliquot locis mutilata esse. Nam ipse aliquando oculis usurpavi MStum exemplar Epigrammatum ineditorum, (de quibus Scaliger, Salmasius, Holstenius, aliique multa dixerunt,) et Epigramma illud in edit. Paris. num. 13, p. 144, sic scriptum inveni,

Ἡμᾶς τοὺς ἐφίλησε τόν τε Πᾶνα,
Καὶ τοὺς αὐτοὺς ὁρᾷ τάλαινα θάρσους.

et deinde Epigramma 22, p. 146, octo versiculis mutilum est; quos ex Mto. Codice ita supplere poteris in tua editione:

Ὡς ἀγαθὰν Πολύφαμος ἀνεύρατο τὰν ἐπαοιδὰν
Τὠῤῥα μένων αἰγᾶν οὐ καθηρᾶς ὁ Κύκλωψ.
Αἱ μοῦσαι τὸν ἔρωτα κατισχναίνοντι, Φίλιππε,
Ἡ πανακὲς πάντων φάρμακον ἡ σοφία.
Τοῦ δοκέων χ᾽ ἁ λιμὸς ἔχει μόνον ἐς τὰ πόνηρα
Τὠγαθὸν, ἐκκόπτει τὰν φιλόπαιδα νόσον
Ἔσθ᾽ ἁμῖν χ᾽ ἁ καστὰς ἀφειδέα πρὸς τὸν ἔρωτα,
Τουτὶ, παῖ, κείρει τὰ πτερὰ παιδάριον,
Οὐδ᾽ ὅσον ἀλλ᾽ ἄραγόν σε δεδοίκαμες· αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ
Οἴκῳ τῷ χαλεπῷ τραύματος ἀμφότεραι.

Unum est, quod hic obiter addam; nempe 31
perperam judicare editores Parisienses, qui ex istis novis pauca vel nulla esse censent, quae Callimacho recte attribuantur. Quod contra ego omnia a Cyrenensi nostro profecta esse nullus dubito; de plurimis quidem mihi certo constat; ut de hoc ipso, quod modo exhibuimus. Clemens Strom. lib. 5, p. 580, edit. Commelin. ἡ πανακὴς πάντων φαρμάκων σοφία, Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἐπιγράμμασι γράφει. Quae leviter

leviter emendata, in hoc nostro comperiuntur; nam utrobique legendum Ἡ πανακὲς π. φάρμακον ἁ σοφία. Etymol. Magnum; Ἀττάραγος, τῶν κλωμένων ἄρτων τὰ ψιχίδια· τίθεται ἡ λέξις ἐπὶ τῶν ἐλαχίστων. Καλλίμαχος, Οὐδὲ τὸν ἀττάραγόν τι δέδοικεν. Quae verba, ut vides, ex hoc ipso Epigr. petita sunt, et ita corrigenda et hic et illic:

Οὐδ' ὅσον ἀττάραγόν τυ δεδοίκαμες· αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ
Οἴκῳ τῶ χαλεπῶ τραύματος ἀμφότεραι,

Postremo in edit. Paris. Epigr. 23, p. 147, deest distichon, quod in Mto sic se habet:

Στρούθωνος υἱὸς ἅρμασιν ἐν χαρίτων φορηθείς,
Αἵ οἱ ἐπ' ἀνθρώπους ὄνομα κλυτὸν, ἀγλαάν τε νίκαν
Θῆκαν ἰοστεφάνων θεᾶν ἕκατι μοισᾶν.

Ceterum decepti sunt editores, qui Callimacho
32 hoc carmen ascribunt; haud satis intellecta epigrapha in Cod. Mto. Nam Bacchylidem aut Simonidem autorem esse olim probabo. Atque haec sunt, quae cum epigrammata excuduntur, in ipso textu emendari debent, ut mihi quidem videtur. Fragmenta vero, ut dixi antea, om-

nino differri velim, donec integriora et plura illa ex chartis nostris acceperis. Te vero obsecro, ut certiorem me facias, an hoc nostrum consilium tibi placeat necne; et annon sero nimis haec fabuler. Si enim jam excusa sunt Fragmenta, cur ego inanem in describendo operam consumam? Mitte vero ad me litteras ut primum tibi erit commodum per tabellarios publicos: nam pecuniolae illud dispendium nihil moror. Quod si etiam folia, quotquot impressa nunc sunt, per Wetstenium vel alium quemvis ad bibliopolam quemlibet ex nostris tradantur ad me mittenda; recte sat scio curabuntur; et eo pacto ubi formam et rationem operis pervidero, plura fortasse ad editionem tuam ornandam conferre potero. Sed haec primo autumno. Nunc me exercent praelectiones nuper a me habitae adversus Religionis Xt. hostes, quae mox prelo subjiciendae sunt. Hae obeuntur ex testamento nobilissimi et plane divini illius herois Roberti Boylei, fama super aethera noti. Ad hoc munus primus omnium delectus sum abhinc 33
triennium. Anno elapso, me excepit Episcopus Bathoniensis. Nunc iterum evocatus, in eo sum, ut in lucem publicam edam, quae apud populum concionatus sum. Priores illae conciones jam aliquoties excusae sunt. Quod ad Cicero-

nem attinet, salva est tibi apud me editio Veneta, ut et Notae Tan. Fabri, et praeterea Variantes Lectiones, nisi si jam aliunde eas nactus es, ex duobus vetustiss. codd. ex Bibliotheca Regia Sti. Jacobi. Ipse enim Bibliothecis Regiis praefectus sum, per *literas patentes*, ut vocant, *durante vita naturali.* Forulos igitur istos, ut et omnium hujus insulae Biblioth. tibi et tuis semper fore apertos credas velim. De Manilianis lectionibus valde te amo. Philostrati specimen, quod a Lipsiensibus nuper accepi, non placet: repudio omne edendi consilium, nisi typos elegantiores paraverint. Epigraphen Epistolarum, quas ad me mittis, habes pagina versa. Vale, Vir praestantissime, ut et ego valeam. Londini D. XV. Maii, M.DCXCIV.

Viro excellentissimo Johanni Georgio Graevio
Trajectum.

For
Mr. Richard Bentley,
at the Bishop of Worcester's house
in Park Street,
Westminster.

Samueli Cragio, Silesio.

Ep. VIII.

J. G. GRAEVIUS S. P. D.

RICHARDO BENTLEIO VIRO SUMMI INGENII ET ERUDITIONIS.

Novissimas meas, testes perpetui mei in te 34
studii et observantiae, spero tibi redditas esse,
quibus longae intermissionis litterarum crimen
sum deprecatus. Si potes a te impetrare, ut
confitenti reo ignoscas, et bona fide redeas in
gratiam cum homine, qui te tanti facit, ut tibi
neminem anteponat, paucos comparet, magno
aestu levabor. Accipis hic sex Rubenianae commentationis, tria Huetii carminum, et dissertationis Toinardi de Commodi aetate totidem
exempla. De singulis si Asaphiensi et Norvicensi Episcopis unum meo nomine dignaberis
offerre, pignus singularis, qua tantos viros prosequor, observantiae, tua in me merita mirum
in modum augebis. De Manethone spero brevi
te intellecturum exploratiora. Excerpta variarum lectionum Philostrati, quae mecum olim
communicavit Franciscus Junius, sunt Codicis 35
Regii ex Bibliotheca S. Jacobi. Varias lectiones
Manilii Lipsiensis jam quoque videbis cum Rubenio. In Callimacho edendo testudineo gradu
procedunt operae, ut quicquid ad hanc editionem
ornandam contuleris, non intempestive, ac, quod

ajunt, post festum sit ad nos perventurum. Poterit committi Wetstenio, bibliopolae Amsterodamensis fratri, qui nunc apud vos commoratur. Si summe Reverendus Episcopus Norvicensis Tullianarum emendationum Tanaquilli Fabri et editionis Venetae anni M.CCCCLXXI. copiam nobis facere voluerit, quarum tu olim spem fecisti, recte credi poterit eidem Wetstenio.

Praeconium vestris in Ciceronem beneficiis debitum, si vivo, non desiderabunt lectores Tullii, nec vos gratae voluntatis officium. Utor ego antiqua orationum istarum editione anni sequentis, sed, cui non adscriptus est locus ubi prodiit, verum haec disticha;

Hoc ingens Ciceronis opus, causasque forenses
 Quas inter patres dixit et in populo.
Tu quicunque leges Ambergau natus ahenis
 Impressit formis. Ecce magister Adam.

Francisci Junii opus de pictura, infinitis modis
36 auctius et locupletius, cum secundo tomo de operibus veterum opificum ἀνεκδότῳ sub proelis esse nuper, credo, significavi. Berolino perlatum modo ad nos est spicilegium antiquitatum Begeri, in quo sunt quidem nummi inediti, sed pauci, plures gemmae, statuae, et inscriptiones. Ibi quoque jam excudi thesaurum

antiquitatum Principis Brandeburgici, et vitam
ac res gestas a Pufendorfio litteris mandatas nar-
rant amici. Lipsiae Juliani Opera et Cyrillus in
Julianum jam typis descriptus est, subjicientur
nunc notae Petavii et aliorum, quibus accedit
commentarius Spanhemii. Pausaniae quoque a
Kuhnio illustrato jam manus illos audio admo-
visse. In tuo Philostrato quo usque progressi
sint ex te cognoscemus. Parisiis expecto Har-
duini de Paschate dissertationem παράδοξον,
(cujus credo Chronologiae ex nummis antiquis
restitutae Prolusionem de nummis Herodiadum
vidistis credo non sine indignatione) et Valliantii
expositionem numismatum Apamensis Antistitis
majoris moduli. Toinardus diatriben adornat,
in qua est duplex Imperatorum tribunicia pote-
stas. Narrant quoque Lutetiae divulgatum esse
ineditorum Mathematicorum opus, Athenaeum
de Machinis, Excerpta Poliorcetica ex libro
Apollodori, ex opere Philonis liber quartus de
telorum constructione, et liber V. Bitonis de 37
constructione bellicarum machinarum et catapul-
tarum, Heronis de constructione et mensura ma-
nubalistae, Ctesibii Belopoeeca, Heronis Ale-
xandrini Spiritalia, ejusdem de Automatorum
fabrica; et non nullorum aliorum, opera Joan-
nis Bejoin. Praeclaros hos scriptores ex latebris

bibliothecarum in lucem protrahi gratulandum sane rei litterariae et nostro seculo. Ejus te decus eximium diu volo valere. Trajecti D. XXV. Decemb. CIↃIↃCXCIV τοῖς Ἐπιφανείοις τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν.

En tibi aliud praeter superius commemorata exemplum dissertationis Rubenianae tuo Millio, quod commodo tuo fiat, tradendum meo nomine. Desiderium καινῆς διαθήκης ἐκδόσεως vix ferre possumus. Pinium, cujus commentarius de rebus ecclesiasticis prostat, παῤῥησίας, quam Clerus Gallicus ferre non potuit, poenam luere et in vincula conjectum esse audivistis credo.

Viro excellentissimo Richardo Bentlejo
Londinum.

Ep. IX.

VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO
S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

38 Mitto tibi per duos adolescentes Germanos, qui beatam vestram insulam petunt, praecipue ut te aliosque viros eximios videant, pignus perpetuae meae in te observantiae et amoris, Orationem, qua Manibus incomparabilis Reginae vestrae parentavi. Litteras et fasciculum, quem

superioris anni Augusto ad te perferendum com-
misi Samueli Cragio, nobili juveni, domo Sa-
xoni, recte spero curatum. In iis tibi significa-
veram, curam tuam in Fragmentis Callimachi
colligendis et ordinandis mirifice mihi probari,
meque curaturum, ne typographi manum ante
admoverent Fragmentis edendis, quam tuam
συλλογὴν accepissent. Eam etiam nunc expe-
ctant; sed nec de Cragio, nec de fasciculo, in
quem conjeceram folia Callimachi typis descripta,
quicquam audivi, a quo a nobis ille discessit.
Si me amas fac quaeso ex te cognoscam, num 39
illas litteras acceperis, et quid nobis de Frag-
mentis Callimachi tuis sit sperandum. Non
ante illa proelis subjicientur, quam aut tua vi-
derimus, aut spem illorum, quod abominor, de-
collasse audierimus. Avidissime quoque videre
cupio tuas conciones, quibus impugnas hostes re-
ligionis Christianae. Nam nihil nisi exquisitum
a tuo expecto ingenio. Etsi vestrae linguae non
satis sim peritus, facile tamen inveniam inter-
pretem. Pluribus tecum agere, ut constitue-
ram, mihi non licet, cum hi juvenes, quorum
fidei haec committo, sint itineri accincti. Plu-
ribus vero tecum agam, ubi haec tibi reddita
fuisse recte accepero. Mitto autem praeter Ora-
tionem denuo folia Callimachi, specimen Har-

moniae Evangelicae Toinardi, ut et notas ejus in Bohursii versionem Gallicam Evangelistarum. Vale, Vir eruditissime, et me ama. Trajecti, D. XVIII. Maii, CIϽIϽCXCV.

Addidi quatuor exempla Orationum, quorum unum rogo ut tradi jubeas Illustrissimo Episcopo Lichfieldensi, alterum Salisburiensi, tertium Reverendissimo Antistiti, qui nobiscum communicavit Ciceronis Philosophica, quae sancte . . . . . . untur, et remittentur cum grati animi
40 testificatione, ubi iis usi fuerimus: nunc adhuc desudant operae in Orationibus edendis: quartum Doctori Thomae Smith, quem credo vobiscum etiam nunc Londini degere. Iterum vale *φίλτατον κάρα.*

For
Mr. Richard Bentley
at the Bishop of Worcester's house
in Parck Street
Westminster.

Ep. X.

RICHARDO BENTLEIO, VIRO VIRTUTE, INGENIO ET DOCTRINA PRAECELLENTI, S. P. D.

J. G. GRAEVIUS.

41 Nullus dubito, quin tibi reddita sit oratio, qua Maximae Reginae parentavi, cum foliis Callimachi, quae typis erant descripta. Sic enim

mihi retulit juvenis ille Germanus, cui istum
fasciculum commiseram, cum ad nos revertisset.
Responsum tuum hominis occupatissimi non ur-
geo, licet tuis litteris mihi nihil possit afferri
acceptius, modo te valere et me amare audiam.
Nam te, quod velim exploratissimum tibi sit,
ego in oculis fero, nec de quoquam praeclarius
sentio, et libentius ac frequentius loquor. Qui
has tibi tradet Löderus, Germanus, liberalium
Artium Magister, probitate et non vulgari eru-
ditione juvenis, mihique percarus contendit
in vestram beatam insulam, cum nobilissimo
Comite Francofurtensi, ut vestras bibliothecas
perlustret, sed inprimis ut viros eximios, et te
inter illos lucentem, tanquam Lunam inter mi- 42
nora sydera, videat, salutet, et ex illorum ser-
monibus doctior et sapientior redeat. Non spero
te pro tua singulari humanitate hanc volupta-
tem, et profectionis suae praecipuum fructum,
juveni tui cupidissimo invisurum. Quod si
etiam munieris ei aditum ad alios viros magnos
videndos, augebis tua in illum merita. In Ci-
ceronis Orationibus edendis quotidie procedunt
operae, sed testudineo gradu. Proxima tamen
aestate spero illas lucem visuras in sex tomos
digestas. In Ezechielis Spanhemii Commentario
in Callimachum itidem progrediuntur. Quod

si per alia negotia tibi non licet nunc his curis vacare, et quae olim promisisti Callimachi Fragmenta componere et perpolire, fac quaeso nos hujus tuae voluntatis certiores, quamvis satis mature nobis tradentur tuae scidae, si post duos tresve menses ad nos pervenerint. Gerhardi Vossii Opera omnia junctim edi olim credo significavi. Inter illa erunt quaedam ἀνέκδοτα. Etymologicum jam prodiit cum accessionibus luculentis filii Isaaci Vossii. Biblia quoque Critica vestra recuduntur, quae, ut aiunt, ornabuntur nonnullis ineditis Andreae Masii in Pentateuchum, et Sixtini Amamae et Joannis Drusii in varios sacros Codices. Julius Caesar cum notis
43 postumis Dionysii Vossii brevi lucem videbit. A vobis expectamus Xenophontem, Thucydidem, Pindarum. Sed nihil magis rescire aveo, quam quid tu, vir eximie, rerum geras, quid moliaris. Nihil nobis de te, nisi numeris omnibus absolutum promittimus. Vale, vir celeberrime, et me ama. Trajecti Kalendis Octobris, CIↃIↃCXCV.

Monumentum Ancyranum aliquot versibus et lacunis nonnullis suppletis auctum, ex schedis Danielis Cossonii, juvenis Batavi, qui diu egit Smyrnae, publicavit Jacobus Gronovius. Proela brevi subibit Phaedrus cum postumis Marquardi

Gudii animadversionibus. Sunt penes me In-
scriptionum antiquarum, quas in itinere colle-
gerat idem Vir praestantissimus, ineditarum tria
volumina satis ponderosa, in quibus multa sunt
maxime insignia monumenta antiquitatis accura-
tissime descripta, sed, quod mireris, hic non in-
venire possunt editorem librarium, et brevi remit-
tenda erunt in Germaniam, ad haeredes Gudii,
cum tamen illa valde desiderent Galli et Itali,
etiam nunc superstites, qui olim illa viderunt.
Iterum vale.

Viro singulari virtute et eruditione
RICHARDO BENTLEIO
Londinum.

Ep. XI.

VIRO MAXIMO J. G. GRAEVIO S. P. D.
RICHARDUS BENTLEIUS.

Doleo equidem, et jamdudum vix mihi igno- 44
sco, quod literis tuis, quae abhinc mensibus
amplius quinque ad me perlatae sunt, non ma-
turius rescripserim. Sed dabis, uti spero, hanc
veniam homini et infinitis negotiis occupato, et
ex illo ferme tempore procul ab Urbe et Lite-
ratorum consuetudine absenti. Nuper vero ad-
modum Londinum reversus, ubi fixum larem
habiturus esse videor in posterum, cum nihil

prius in animo haberem, quam ut prima occasione gratias tibi per epistolam cum meo tum aliorum nomine quam maximas agerem pro nobilissima illa et divina Oratione, qua incomparabilis Reginae memoriam Aeternitati consecrasti: ecce tibi, peropportune se mihi offert, qui tibi has tradet Grodeckius, in Bataviam vestram contendens. Scias itaque me Exempla illa ex tua sententia Episcopis Salisburiensi, Lichfieldensi, et qui tecum communicavit Ciceronis Philosophica, Norwicensi, tradita curavisse: minime autem Doctori Smith, homini alioqui probo et erudito; verum, quod tu, opinor, haud inaudiveras, animo erga Regem Gulielmum et Beatae Mariae memoriam non parum iniquo. Visum est igitur, exemplum Smithio destinatum Archiepiscopo Cantuariensi dare; et alterum, quod mihi proprium consignasti, Archiepiscopo Eboracensi; ne summorum Praesulum, nec minus eruditione quam dignitate praecellentium vel ignarus vel immemor fuisse viderere. Qui omnes cum ob hanc Orationem tum ob infinita alia praeclari ingenii monumenta, quae per omnium ora manusque volitant, omniumque oculos in te convertunt, se plurimum te amare et colere prolixe significarunt. Quod ad Callimachum attinet; pereat ubicunque est, si non dudum

cum fasciculo suo periit, iste Cragius; cujus negligentiam stetit (neque enim vi est mihi nec auditus) quo minus meam Συλ γὴν jam annum et amplius vobiscum habuer Superiori enim aestate abunde otii suppete ad exscribenda quae in scriniis congesser sed ex diuturno tuo silentio, sero nimis Fr menta illa ad vos perventura conjiciens, in negotiis tempus illud operamque consui Nudius vero tertius venit me salutatum Löde tuus, literas a te afferens datas Kalendis O bribus; ex quibus intelligo, etiam nunc s tempestive traditum iri ἀποσπασμάτια illa; proinde manibus pedibusque enitor, ut qu primum per Καλλιγράφον exscripta ad vos tantur. Bene factum autem; quod nec l grammata attigerint operae Typographicae: que quaeso cura, ne porro iis imprimendis num admoveant. Nam ex illis nonnulla s quae non Epigrammata sed mera Elegia fragmenta esse quivis intelligat. Faciam p terea, ut editio haec decem integris Epigr matibus praeter illa Fabriana hactenus ine auctior prodeat: (ea nactus sum ex Anthol illa Heidelbergensi) nisi forte hoc occup Spanhemius; nam is Romae eum codi viderat. Mirum vero quod narras de In

ptionibus antiquis Marquardi Gudii. O si thesaurum istum meae fidei et curae velles committere! enimvero magnificis typis apud Oxonienses nostros, vel Cantabrigiae, ubi novum jam fundatur Typographeum, in lucem edere possem. Sed immane fortasse pretium statuunt haeredes Gudii; et emptorem deterrent. Tu vero quam ocyssime per tabellarium fac me certiorem, quanti ab haeredibus veneunt: nullus enim dubito (nisi plane insaniunt venditores) me emptorem apud nos inventurum. Hoc
47 ego a te enixe peto; hoc, si fas est, postulat Episcopus Lichfieldensis. Vale, vir celeberrime, et me ama. Londini III. Kal. Dec. MDCXCV.

Literas per tabellarium mittendas sic inscribe: *For Mr. Richard Bentley at His Majesty's Library at St. James's,*

London.

Hem tibi quas petiisti conciones; totidem aliae sub praelo sunt; quibus, si has tibi non displicuisse intellexero, libens te impertiam. Iterum vale.

Viro Maximo

Jo. Georgio Graevio

Trajectum.

Ep. XII.

VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO, S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Grodeckius, cui tuas commiseras litteras, 48
III. Kal. Decembris scriptas anno superiore, mihi tradendas curavit paucos ante dies. Ipsum non vidi, sive tantae tarditatis pudore, sive nostram urbem non transierit. Potuissent citius ad extremos Seras tuae perferri. Gaudeo tamen non eas plane intercidisse, sed cum gratissimo munere pervenisse ad nos. Quod quanti aestimem vel hinc poteris intelligere, quod nostris hominibus persuaserim, ut hos tuos sermones convertant in linguam Belgicam, cui operi propediem accingentur. Mirifice me cepit et argumentorum novitas et gravitas, quamvis in illis legendis usus sim interprete. Nihil mihi accidit optatius, quam si et cetera, quae in hanc sententiam scripsisti, videro. Nostram orationem non displicuisse Magnis Viris, quibuscum eam communicasti, laetor. Quod enim majus
operae pretium ferre possum, quam non im- 49
probari meam lucubrationem vobis. Exemplum aliud Orationis hujus habebis, simul ac ego habuero, cui recte dem. Fragmenta Callimachi, uti a te sunt composita, et illustrata, utinam

quam primum possimus videre! Pervenerunt enim librarii fere ad calcem notarum Spanhemii. Tum manum admovebunt fragmentis, et epigrammatibus. Si nondum omnia descripta habes, fac, quaeso, ut certiores nos reddas, quando possint ad nos deferri. Nolim enim Rempublicam Litterariam hoc thesauro carere diutius. Löderus credo cum rostratis, quibus Rex trajiciet in Belgicam, ad nos recurret. Is posset quicquid ad nos curari volueris adportare. Spanhemius ἀνέκδοτα epigrammata non occupavit. Collegit tantum quaedam Fragmenta ex antiquis lexicis et scholiastis. Inscriptiones Gudianas ante hos quatuor menses repetierunt Gudiani haeredes, fide tamen data, se illas ad nos remissuros, ubi invenerimus, qui illas typis velit mandare. Spero nos brevi haec volumina recuperaturos, et his quidem legibus, ut non pretio, sed exemplis editis sibi patiantur satisfieri; de quibus brevi pluribus tecum agam. Ne in posterum nos fallant, quibus nostras credimus epistolas, utemur publicis ta-
50 bellariis. Tuae enim litterae mihi auro contra carae sunt. Noli dubitare, quin Illustrissimi Episcopi Lichfeldensis vota ac desiderium de inscriptionibus Gudianis simus expleturi, cui velim mea deferas officia. Vale, Vir excellen-

tissime, et me ama. Trajecti IV. Idus Apriles Gregor. CIƆIƆCXCVI.

Ep. XIII.

VIRO SUMMI INGENII ET DOCTRINAE RICHARDO BENTLEIO S. P. D. J. G. GRAEVIUS.

Pridie reddidit mihi Loederus pulcherrimas 51
et eruditissimas tuas annotationes in Callimachum, quae hac ipsa, credo, hebdomade typis mandabuntur. Nil nisi exquisitum de tuo mihi promittebam ingenio, sed haec superant meam spem et opinionem. Quam egregie meritus sis de Callimacho, et quantum tibi debeant, qui litterarum interiorum studiis tenentur; cum in tanta occupationum mole hanc operam navasti optimo poetae, omnis aetas, quam diu cultioribus artibus suus constabit honos, agnoscet. Expectamus itaque reliquas observationes tuas in Fragmenta cupidissime. Has simul ac habebimus, coronis imponetur isti editioni. Epistolam hanc tibi feret civis tuus, Samuel Mead, eximius plane
juvenis, qui recens ex Italia rediit, ex quo 52
multa de re litteraria intelliges digna cognitu. Ipsum simul videbis, simul amabis, tanta in illo est ingenii, morum et doctrinae elegantia, mihi ab aliquot annis valde probata. Cum is nunc cum fratre suo, qui et ipse dignus est

qui a te ametur, iter ad vos acceleret, mihi non licet esse prolixiori. In Tullio totus adhuc sum. Vale, meum et Britanniae decus. Trajecti, D. XIV. Jun. CIↃIↃCXCVI.

Ep. XIV.

RICHARDO BENTLEIO VIRO SUMMI INGENII
AC DOCTRINAE S. P. D.
JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

53 Litteras, quas dedi Meado nostro ex Italia per nostras terras in patriam revertenti, nullus dubito quin acceperis. Hic vides specimen tuarum notarum in Epigrammata Callimachi, ex quo facile per te intelligis, nihil ad editionem istius poetae proferendam in lucem desiderari, quam ceteras tuas animadversiones in Epigrammata et Fragmenta. Quae quo maturius perferentur ad nos, tanto citius lucem aspicient. Eas expectamus cupidissime. Accipis hic etiam specimen Manethonis, quod ex Germania heri adportatum est. Editor est quidam Fabritius Germanus, mihi ignotus, nisi quod viderim aliquod *ἀποσπασμάτιον*, ante aliquot annos ab eo publicatum, de anonymis et plagiariis. Propediem habebis epistolas Marquardi Gudii, non multas, sed quibus accesserunt appendices sat
54 grandes epistolarum virorum doctorum, qui su-

periore et nostro seculo floruerunt, quas Gudius collegerat *αὐτογράφους*, plerasque in Italico, Gallico, et Germanico itinere. Habebis etiam Julium Caesarem, cum notis postumis Dionysii Vossii, cui ex meo Musaeo adjeci commentarium Julii Celsi, ut videtur, seu potius Anonymi, de vita et rebus gestis J. Caesaris, quem frustra quaesivit Godwinus in omnibus bibliothecis Gallicis. De Inscriptionibus Gudii bene nos sperare jubent heredes ejus. Cum Caesare, et illo epistolarum volumine, de quo dixi, accipies quoque Callimachum, si tuae animadversiones tempori nobis reddentur. Vale, Vir doctissime, et me ama. Trajecti D. X. Septemb. CIↃIↃCXCVI.

Ep. XV.

VIRO SUMMO, RICHARDO BENTLEIO

S. P. D.

J. G. GRAEVIUS.

Reddita sunt mihi quae ad Callimachi tam 55
edita, tam *ἀνέκδοτα* observasti, hebdomade superiore, in quibus et ingenii tui praestantiam ac sollertiam, et politioris doctrinae copiam admiror. Jam magna pars est profligata typis. Nae tibi plurimum debebunt, qui elegantiorum litterarum studiis tenentur. Quas

tibi laudes gratesque dicerent Scaliger et Ca-
saubonus, si essent superstites, qui prae ceteris
illius temporis capiebantur his deliciis. Sed nec
deerunt hac tempestate Huetius, Spanhemius,
aliique, qui tua in nostras artes merita agno-
scent ac praedicabunt. Simul ac cetera, quo-
rum spem fecisti, miseris, erumpet tandem
Callimachus in dias luminis auras. Fac quaeso,
ut quam primum ad nos perferantur, ne diu-
tius gaudia hominum, quae jam praeceperunt
56 animis, moremur. Spero tibi tradita esse prima
duo Epigrammatum folia, quae jam edita tibi misi
nuperius, cum specimine Manethonis, quod tan-
tum quod ex Germania missum mihi erat, cum
epistolam illam exararem. In notis Spanhemii vi-
debis illum collegisse multa Pindari fragmenta.
Si forte illa desiderabitis ad editionem, quam
apud vos adornant, operam dabo, ut illorum vo-
bis copiam faciat. Ejus Julianum cum Cyrillo, et
notis in primam Juliani Orationem eruditissimis
accepi paucos ante dies. Conqueritur de ty-
pographorum avaritia, qui cupiditate nimia
lucri noluerunt editionem differre, donec quae
in ceteros Juliani et Cyrilli libros observarat,
essent concinnata et typis mandarentur. Accepi
etiam thesaurum Brandenburgensium Antiquita-
tum, in quo multa sunt egregia vetusta monu-

menta. Sed editoris explicatione facile potuissemus carere, nisi ubi Spanhemii ingenium et manus elucet. Phaedrus Gudii nunc exercet proela. Spem quoque faciunt heredes Inscriptionum, quas ad nos se remissuros promittunt. Brevi habebis Tullianas Orationes. Quatuor tomi jam proela reliquerunt, et in quinto multum est confectum, ut unus supersit, in quo elaborent operae. Tum statim accingemur Philosophicis Operibus, ut tandem ad Illustrissimum Antistitem redeat, quam nobiscum com- 57
municavit, Editio Stephaniana. Quaeso te ut tribus verbis mihi significes, quid nunc agites et moliaris. Vale, Vir maxime, et me, qui te in oculis fero, ama. Trajecti Batavorum, prid. Kal. Octobres Julias CIϽIϽCXCVI.

For
Mr. Richard Bentley,
at His Majestes Library at St. Jaque's,
London.

Ep. XVI.

VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO 58
S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Qui has tibi litteras fert Joannes Ernestus Andreae, filius est celeberrimi Theologi Samuelis

Andreae, qui in Marpurgensi Cattorum Academia magno cum applausu interpretatur sacras litteras. Magnis passibus ad paternae laudis decus procedit. Nobis, quamdiu hic egit, probavit ingenii sui praestantiam, singularemque in excolendis sacrae Theologiae studiis industriam. Hoc nomine contendit in vestram beatam insulam, ut ibi collectas ingenii opes augeat et aggeret. Quod facile se consecuturum existimat, si te, singulare Britanniae tuae decus, videre sibi dabitur. Tu, vir humanissime, non invidebis egregio juveni hunc itineris fructum. Quod si etiam magnos Antistites Ecclesiae vestrae compellandi aditum ei aperueris, cumulabis tua beneficia.

59 Litteras binas, quas nuperrime dedi ad te, priores quidem in quas duo folia conjeceram Epigrammatum Callimachi cum tuis et variorum notis, et Specimen editionis Manethonis, quam in Germania moliuntur; alteras, quibus significaram, me tuas animadversiones in reliqua Epigrammata, et partim Fragmentorum elegantissime concinnatorum accepisse, et cetera exspectare cupidissime, nuncios, qui hinc litteras ad vos perferunt, tibi reddidisse spero. Nunc in tanta festinatione quid addam non habeo. Si dignaberis me certiorem reddere quid agites cum maxime, et in quibus studiis tua versetur industria,

beabis. Cum Callimacho videbis Julium Caesarem cum ἀνεκδότοις annotationibus Dionysii Vossii, cui jussi ex meo Musaeo addi Anonymum de Vita et Rebus C. Julii Caesaris, quem Celsum vulgo vocant, ut scrupulus, quem nonnulli docti homines de auctore Belli Gallici, qui Caesar est, evellatur, et cognoscatur, quam longe a genuino is absit Caesare. Quando Millii videbimus Novum Foedus, et tuum Manilium et Hesychium? Vale, vir praestantissime, et me ama. Trajecti D. III. Octobris CIↃIↃCXCVI.

Nulla ne spes Pearsoni τοῦ μακαρίτου observationes in Hesychium, Suidam, Stephanum
ex tenebris eruendi in lucem? Pollucis Ono- 60
masticon cum Kuhnii animadversionibus brevi proelis subjicietur Amsterodami.

Viro Summo Richardo Bentlejo,
potentissimo Magnae Britanniae Regi a bibliotheca.
Londinum.

Ep. XVII.

VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO 61

S. P. D.

J. G. GRAEVIUS.

Tres intra mensem ad te dedi litteras, quas spero recte curatas esse, praesertim primas, in qua et primum erat folium Epigrammatum cum tuis et variorum notis, nec non specimen Ma-

nethonis apotelesmatum, quorum editionem in Germania adornant. Non potui autem celeberrimum Bernhardum, quem hic nobis complecti datum fuit, sine meis ad vos dimittere. Utinam et tu in animum inducere posses ad nos ut aliquando trajicias. Nihil sane nobis accidere posset desideratius et optatius. Interea cetera sunt Epigrammata typis descripta, et pars Fragmentorum. Reliqua cupidissime indies expectamus. Tum cis paucos dies videbis totum Callimachum. Jam quod addam non habeo, nisi quod optem,
62 ut valeas diutissime, et omnia geras ex sententia. Trajecti Batavorum, D. XXIV. Octob. Gregor. CIƆIƆCXCVI.

Eadem inscriptio, quae in ep. XVII.

Ep. XVIII.

63 VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO

J. G. GRAEVIUS.

Et quae nuperius misisti fragmenta tuis notis illustrata, et quae modo accepi pulcherrima, recte curata sunt. Priora jam exercent proela, quae haec excipient. Observationes tuae inter aliorum doctorum hominum annotationes fulgebunt, et ut inter minora sydera luna. Vellem in majorem molem excrevissent, quo plura disceremus omnes, quae nunc ignoramus. Rogo te et per communia studia obtestor, ut colli-

gas, quae in Graecis Latinisque scriptoribus illustrandis condita in adversariis habes, eaque cum studiosis bonarum artium communices. Vides quae sit vastitas, et quam pauci ex reconditis illis Musarum thesauris aliquid promunt. A te uno exspectamus plura hujus notae, quam a ceteris omnibus. Joannes Phorbaeus ante complures annos adornavit editionem Hesychii, ad quam expoliendam duo habuit exemplaria, charta pura instructa, quibus Daniel Heinsius 64
in primo aetatis flore adscripserat plurima. His accesserunt observationes Henrici Valesii non paucae, quas nobiscum communicarant Galli. Spes etiam nobis facta erat animadversionum et castigationum Pearsonii. Sed ea nunc evanuit. Phorbaeus quoque complures ante annos obiit. Quae tamen collegit ab heredibus custodiuntur. Inveni nunc non indoctum juvenem, qui illi operi consummando velit admovere manus. Cum vero in isto scriptore restituendo et illustrando te multum fuisse nobis sit exploratissimum, verbo velim nos certiores reddas, num otium tibi sit et animus tua componendi et ad nos mittendi. Si vestri novam Hesychii moliuntur editionem, haec indicta sunto. Nam contra officium esset exteros praeferre civibus. Vale, ὦ φιλότης, et me tui stu-

diosissimum ama. Trajecti D. V. Januar. CIƆIƆCXCVII, quem tibi sine ulla noxa et aegritudine volo decurrere.

For Mr. Richard Bentley at his Majeste's Library at St. James's London.

Ep. XIX.

65 VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO S. P. D.[1]

J. G. GRAEVIUS.

Litteras, quibus tibi significavi, tua in Fragmenta et Epigrammata Callimachi observata reddita nobis esse, nullus dubito quin acceperis. Spero te cis paucas hebdomades, aut forte dies, ipsum quoque Callimachum visurum. Nam pauca restant typis describenda. Nunc etsi nullam novam litterarum sententiam inveniam, non potui tamen desiderio praestantissimi juvenis Caroli Binne Scoti deesse. Is nobis aliquamdiu operam dedit, et nunc in Angliam contendens petiit a me, ut aditum sibi munirem ad te, quem dudum colit et suspicit, coram colendum et suspiciendum. Nec ego dubito quin juvenem optimum et tui amantissimum sis amplexurus pro tua humanitate, quam omnes praedicant. Julianum prodiisse cura Ezechielis Spanhemii

cum ejus annotationibus in Orationem primam
Augusti, nuper, credo, ex me intellexisti. 66
Ex hac Juliani editione, si forte nondum
eam vidistis, tecum communicandam putavi
Spanhemii observationem de loco Philostrati,
ubi tui mentionem facit. Is extat p. 19, ubi agit
de varia notione vocis *πλάσμα*. Cum dixisset
eam quoque denotare mollem ac varium sive vocis
sive tibiae sonum, addit, Philostratum, ubi de-
scribat Amphionem Lib. I. Icon. p. 747, eum de-
pingere sedentem, pede quidem terram concinne
quatientem, dextra vero citharae chordas pul-
santem, sinistra erectos habentem digitos, *ὅπερ
οἶμαι πλαστικὴν ἀπαυθαδιεῖσθαι μόνην*, quod
verterit Interpres, *quod solam plasticem audaciam
puto*, *πλαστικὴν* ait hic non de statuaria, sed
de arte vocem aut cantum emolliendi, seu ci-
tharam ad sonorum varietatem flectendi acci-
piendam esse; quod fuerit olim *φωνασκῶν* mu-
nus. Horum, non vero sculptorum, fuisse,
erectis sinistrae manus digitis mentem, quod
paullo ante de hac Amphionis manu dixisset
Philostratus, ad lyram revocare, *καὶ ἡ ἑτέρα
χεὶρ τείνει τὸν νοῦν εἰς τὴν πηκτίδα*. Sed de
hoc Philostrati loco subjicit, meliora forte nos
docebit, qui nova versione et luculento commen-
tario eundem auctorem explanandum et illustran-

dum suscepit, novum idemque jam lucidum litteratae Britanniae sidus, Richardus Bentleius.
67 Haec Spanhemius. Sed cui persuaderi poterit, pictorem aut voluisse aut potuisse suavem illum citharae sonum describere. An non potius videtur esse Philostrati sententia, tanta arte gestum habitumque Amphionis fidibus canentis descripsisse, ut nec statuarius audacius eum sustinuisset exprimere? Si tantum tibi otii est, ut illum Philostrati locum velis expendere, et me de tua sententia certiorem facere, laetabor. Sin tibi non licet vacare huic curae, rogo tantum, ut me pergas amare. Genevae prodeunt duo epistolarum volumina, quas docti viri scripserunt ad Nicolaum Peirescium, inter quas non paucae sunt Seldeni et Salmasii. Vale, Vir eximie. Trajecti D. IX. Febr. CIƆIƆCXCVII.

Viro clarissimo
Richardo Bentlejo, Serenissimo
Magnae Britanniae Regi a Bibliotheca,
Londinum.

Ep. XX.

68 VIRO MAXIMO

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO S. P. D. RI. BENTLEIUS.

Postremas tuas litteras nuper accepi ab humanissimo Adolescente Carolo Binne; pro qui-

bus, uti par et aequum est, gratias quam ma-
ximas habeo, praesertim ob Illustrissimi Span-
hemii observationem mecum communicatam,
quam antea non videram. Quod ad locum illum
Philostrati attinet, de quo quid ego sentiam
rogas; accedo equidem, ut sententia tua, si ex
duabus alterutram ferre oporteat, prae illa Span-
hemii bona et probabilis esse videatur. Tu ta-
men erga Virum Ill. paullo iniquior es, cum
haec subjicis; *Sed cui persuaderi poterit, pi-
ctorem aut voluisse aut potuisse suavem illum
citharae sonum describere?* Non enim sonum
ipsum, quod sciam, pictum esse existimat Spanh.
(quod in Epigrammate notatur, tanquam *ἀδύ-
νατον*), sed signa illa et indicia tum flectendi
soni tum intendendi vel molliendi. Sed quid im-
pedit, quo minus et meum hic judicium can- 69
dide libereque interponam; quandoquidem a
Te Viro amicissimo, Ill.que Spanhemio, qui
insigni adeo me elogio honestavit, tam humaniter
rogatus sum? Prior itaque locus p. 746, qui sen-
tentiae Spanhemianae fundus est, perperam opi-
nor ab eo accipitur. *Ὁ δὲ Ἀμφίων, τί φησι;
τί ἄλλο γε ἢ ψάλλει; καὶ ἡ ἑτέρα χεὶρ, τείνει
τὸν νοῦν εἰς τὴν πηκτίδα, καὶ παραφαίνει
τῶν ὀδόντων, ὅσον ἀπόχρη τῷ ᾄδοντι.* Quae
sic verto: *Amphion autem, quid ille? quid-*

nam aliud quam chordas pulsat? [quod semper fit manu dextra; male interpres, *canit*] *quod ad laevam vero attinet, animum is ad citharam attendit; tantumque aperit dentium, quantum canendi satis est.* Nihil hic prorsus de elevatione digitorum. Neque enim τὸ τείνει cum recto χεὶρ connectendum est, ut interpreti et Viro Ill. visum, non magis quam τὸ παραφαίνει. Quomodo enim manus τείνειν τὸν νοῦν poterit, nisi ipsa mente praedita sit? Siquidem τείνειν τὸν νοῦν, si quicquam Graece intelligo, est animum *suum* attendere et applicare non mentem *alius cujuspiam* revocare. Quidnam itaque erit reliquum, quo referri poterit nominativus χεὶρ? Dicam. Ea erat quorundam Atticistarum affectatio, et Philostrati in primis; ut orationis τὸ ἀνακόλουθον καὶ σολοικοφανὲς dedita opera sectarentur, tanquam Atticam elegantiam. Scis Lucianum alicubi ridere τοὺς
70 σολοικίζοντας Ἀττικῶς. Hujusmodi ὑπεραττικισμοῦ exempla aliquot ponam ex Philostrato, praesenti loco plane gemina et germana. Vita Apollonii, p. 155. *Οἱ δὲ Ὠρεῖται, χαλκαῖ μὲν αὐτοῖς αἱ πέτραι, χαλκῆ δὲ ἡ ψάμμος.* Ubi vides poni quidem nominativum Ὠρεῖται, Verbum nullum vero reddi. P. 159, *Ὀρχηστῶν γὰρ ἡττημένοι καὶ πρὸς πυῤῥίχαις αὐτοὶ ὄντες,*

αὐλῶν μὲν πάντα μεστὰ ἦν. P. 185, ἡ δεξιὰ δὲ, ὀρθοὶ τῆς χειρὸς ἐκείνης οἱ δάκτυλοι. P. 227, τί δὲ ἄλλο γε ἢ τὸν λυπούμενον μὲν, κομίζεσθαι αὐτῷ τὴν λύπην ὑπὸ τοῦ αὐλοῦ. P. 230, καὶ ἡ Αἴγυπτος δὲ ἡ ἄνω, μεστοὶ θεολογίας ὄντες καὶ φοιτῆσαι αὐτὸν εἰς τὰ ἤθη τὰ αὐτῶν, ηὔχοντο. P. 325, τούτους Δομετιανὸς ἐπιβουλεύειν αὐτῷ φήσας οἱ μὲν ἐς νήσους καθείρχθησαν. Jam ut eo redeam, unde exorsus sum. Haec mihi videtur esse loci sententia: manu sinistra nihil περιέργως agere Amphionem; sed ea duntaxat sustinere citharam, animo ad opus attento. Is enim status τῶν κιθαριζόντων. Ovidius XI. Metamorp.

Distinctamque lyram gemmis et dentibus Indis
Sustinet a' laeva, tenuit manus altera plectrum.

Pergo ad locum posteriorem p. 747, κάθηται δὲ ἐπὶ κολωνοῦ, τῷ μὲν ποδὶ κρούων ξυμμελὲς, τῇ δεξιᾷ δὲ παραπλήττων τὰς χορδὰς ψάλλει (male iterum interpres *canit*) καὶ ἡ ἑτέρα χεὶρ, ἐν ὀρθαῖς ταῖς τῶν δακτύλων προβολαῖς, ὅπερ οἶμαι πλαστικὴν ἀπαυθαδιεῖσθαι μόνην. Hoc est: *Manus vero altera* (sive quod ad manum
alteram spectat) *rectam adhibet admotionem di-* 71
gitorum; quod opinor de sola Plastica gloriaturum esse. Quorum verborum hic sensus est:

Manus quidem sinistrae picturam in ea tabula nihil prae se ferre artificii singularis; quippe digitis sic *ἀπεριέργως* admotis sustineri tantum citharam; et propterea in ea parte de status habitusque artificio quod in omni pictura prima laus est et summa operis, non posse gloriari; sed de sola arte plastica sive formandi peritia; quod ad verae vivaeque manus similitudinem sit expressissima. Firmant hanc interpretationem, quae proxime sequuntur. *Εἶεν. τί δὲ οἱ λίθοι;* esto, ut manus laeva hanc solam habeat laudem, quod belle formata sit, non quod aliquid *δεινότητος* prae se ferat in situ et actione; quid vero lapides? *πάντες ἐπὶ τὴν ᾠδὴν συνθέουσι,* etc. enimvero isti adeo mira concinnitate positi sunt, ut quasi vita sensuque praediti audire, concurrere, et murum condere videantur.

Ἀπανθαδιεῖσθαι τὴν πλαστικὴν est *μέγα φρονήσειν ἐπὶ τῇ πλαστικῇ*. Hesychius; *Ἀπανθαδιάζονται, μέγα φρονοῦνται.* Idem; *Περιανθαδίζεται· ἐν ὑπερηφανίᾳ ἀναστρέφεται, ἢ μεγαλοφρονεῖ.* Pro *προβολαῖς*, quod omnino a sententia loci alienum, lego *προσβολαῖς*, *applicatione et admotione;* ut Cicero de Nat. Deor. *Ad nervorum eliciendos sonos, ad tibiarum, apta manus est, admotione digitorum.* Et
72 ita plane habet Mtus Oxoniensis, *προσβολαῖς.*

Hesych. προσβολὴ, τῶν ἀθλητῶν ἡ συναφὴ καὶ κατοχὴ καὶ ὁρμή. i. e. *manuum admotio in pugilibus.* Non possum non hic ascribere vocem sequentem. *Προσβολοχεῖ, προσχαίρειν λέγει.* Ecquid unquam visum tibi magis portentosum? Lego *Προσβωμολοχεῖ, πρὸς χάριν λέγει.* Suidas. *βωμολόχοις ἔπεσι, τοῖς πρὸς χάριν λεγομένοις ἢ ἀπὸ κολακείας.* Sed haec olim fusius; cum hic Cantabrigiae Hesychius erit edendus; nam ut alienae curae notas meas committam nequeo a me impetrare. Vale, Vir magne, et me amare perge. Martii D. XXVI. MDCXCVII.

A Monsieur Monsieur
Johannes Georgius Graevius,
a Utrecht.

Ep. XXI.

VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO 73
S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Quas D. XXVI. Martii ad me dedisti D. XIX. Aprilis mihi sunt redditae. Nihil potuit mihi reddi acceptius. Sperabam me primo nuncio tibi mittere posse Callimachum, quem tu ornasti tantopere. Tuae omnes observationes, ut et fragmenta sunt typis descripta, sed de aliis

restant etiamnum duo folia litteris publicis mandanda. Cis duas tresve hebdomades spero te visurum esse integrum Callimachum. Quamprimum provolabit in publicum, ad te quoque, quae prima fuerit certa curandi illum facultas, veniet. Nunc me subito et nec opinum deprehendit iste optimus adolescens Ridderus nomine, domo Norimbergensis, qui ad vos iter accelerat, et petiit sibi aditum ad te muniri. Non potui non hanc veniam dare bonarum artium studioso homini. Nec tu invitus talibus fores tuas pan-
74 dis. De aliis alias; inprimis epistola tua novissima, quae obscuro satis loco facem illustrem accendit. Gaudeo quoque mirifice Hesychium tuum exerciturum proela Cantabrigiensia. Ubicunque edetur, edatur modo quam primum, gratus et desideratus nobis veniet. Vale, Vir magne, et me ama. Trajecti ὡς τάχιστα. D. XXII. April. Dionys. CIↃIↃCXCVII.

For Mr. Richard Bentley, at His Majesties Library at St. James's

London.

Ep. XXII.

VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO 75
S. P. D.
I. G. GRAEVIUS.

Cum me compellassent hodie hi tres nobi-
les juvenes, domo Catti, petiissentque si quid
vellem in Britanniam, sibi ut mandarem, con-
stitueram multis tecum agere, et non modo tuis
novissimis eruditissimis litteris aliquid reponere,
sed et mittere folia tuarum annotationum in Epi-
grammata et Fragmenta Callimachi, quae du-
dum typis sunt descripta, etsi in aliis non nulla
desiderentur. Sed nec opina amicorum extero-
rum turba, cum jam me scriptioni et illi Catti se
itineri accinxissent, supervenit, et me ab hoc
consilio perquam invitum avocat. Typographus
negat se folia edita hodie posse colligere. Hanc
tamen librariorum intempestivam moram correxi
excisis chartis ex meo libro. Eas tibi hi ferent
egregii juvenes, quos ut, qua es humanitate, co-
miter accipias rogo. Magno sibi honori ducent
te tantum virum vidisse. Brevi, hoc est, pau- 76
cos intra dies, habebis totum Callimachum, et,
quod jam adornabam, responsum. Interea gau-
deo tuum Hesychium te proelis Cantabrigiensi-
bus commissurum. Ἔξεχ᾽, ὦ φίλε ἥλιε. Sed de

de his proxime plura. Nunc abrumpere me cogunt fures temporis. Vale, Vir magne, et me ama. Trajecti D. XVII. Maii CIƆIƆCXCVII.

Viro Summo
Richardo Bentlejo, Potentissimo
Regi Britanniae a bibliotheca
Londinum.

Ep. XXIII.

77 VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO
S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Persuasissimum mihi erat, per hunc nobilissimum juvenem me Callimachum ad te posse curare. Omnia credebam jam esse ad umbilicum perducta. Nondum tamen ex tardissimorum nebulonum manibus potuit extorqueri. In indicibus concinnandis et edendis etiamnunc tricantur, quam curam nescio cui terrae filio commiserunt, cum aliis districtus ei vacare ipse non possem. Itaque haec mora quoque concoquenda erit, licet non sine magna indignatione. Qui tibi has feret nobilissimus juvenis Getsius, domo Saxo, non est εἷς τῶν πολλῶν. Venit recens ex Gallia. Viros omnes eruditos in illo regno, omnia Musaea vidit, et quid illi moliantur ex eo cognosces. Jam ad vos contendit, ut beatam vestram insulam perlustret, et te praecipuum

ejus decus, quem dudum tacitus admiratur, coram venerabitur: quem nullus dubito quin co- 78
miter sis admissurus. Quicquid in eum contuleris, in me collatum existimabo. Plura cum Callimacho. Si quid nunc moliaris si non ex tuis litteris, saltem ex Getsio reduce me intellecturum spero. Vale, meum decus. Trajecti D. XIV. Jun. CIↃIↃCXCVII.

Viro Summo
Richardo Bentlejo Regiae Majestati
Britanniae a bibliotheca
Londinum.

Ep. XXIV.

VIRO VIRTUTE ET DOCTRINA PRAECELLENTI 79
RICHARDO BENTLEIO S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Ante tres hebdomades commisi sex Callimachi exempla nobili adolescenti domo Scoto, tibi reddenda. Recte curata spero. Quantum tibi debeat non solum haec editio, quam tam pulchre ornasti, sed et res litteraria, cujus dignitatem monumento tam insigni amplificasti, ego quidem publice testatus sum, sed magis agnoscet et praedicabit omnis posteritas, quam diu litterarum studiis suus constabit honos. Non pote-

runt enim non omnes, qui harum disciplinarum usum habent, mirabiliter de tuo sentire ingenio et doctrina, ubi legent tuas observationes omni elegantia perpolitas, illasque de Callimachi scriptis commentationes; necnon egregiam istam tot epigrammatum ineditorum accessionem, veterumque illustrationem. Hinc expectamus avide, quae in Hesychium et alios scriptores adornas. Brevi videbis Orationes Tullianas et Phaedrum Gudii. Tuam de loco Philostrati vexato sententiam probo. De Hesychii loco vide quid mihi hoc die in mentem venerit. In editis legitur, *Σείρη, ἡ ἀναδέσμη, καὶ μέλιττα, ἢ μελίττης οἶκος, καὶ ὀρνιθάριόν τι ποιόν.* Num *σείρη* vel *σείρα* significet apem? post *ἡ ἀναδέσμη* excidit vox *Σειρήν.* Scribendum puto *Σείρη, ἀναδέσμη. Σειρὴν, μέλιττα, ἢ μελίττης οἶκος, καὶ ὀρνιθάριόν τι ποιόν.* Inter insecta mellificantia numerat Aristoteles in Historia de Animalibus *σειρῆνας,* quas triplices esse docet, minores, majores, et maximas, ut et Aelian. IV. Hist. Anim. 5, et Plin. IX. 16. Si tibi hanc emendationem probaro, gaudebo. Tu enim mihi es instar omnium. Sin, veriora ex te laetus intelligam. Audio te de Phalaridis, Socratis, et aliis hujus generis supposititiis epistolis edidisse dissertationem, quam spero librarios nostros ad

nos perlaturos esse. Valde me devincies, si significaris in quo potissimum opere nunc verseris. Vale, χαριέστατε ἀνδρῶν, et me ama. Trajecti D. VI. Septemb. CIↃIↃCXCVII.

Pollucis Onomasticon cum notis Kuhnii, cum quo communicata sunt excerpta codicis Vossiani, et codicis Palatini, quem Salmasius olim commiserat cum editione Wechelii, nec non notae Henrici Vallesii, brevi proela subibit Amsterodami. Leidensia exercet Aeliani Varia Historia cum 81
animadversionibus Perizonii. Iterum vale. Qui has ad te perferet nobilissimus Murrai Scotus honori sibi ducet te videre et venerari. Dignissimus est quem complectaris. Manethonem Gronovius typis commisit, Graeca et maxima pars Versionis iis jam est descripta. Ipse meis oculis eam nuper Lugduni vidi. Lucem videbit, credo, cis unum alterumve mensem.

Singulari virtute et doctrina Viro
Richardo Bentlejo, Magnae Britanniae
Potentissimo Regi a bibliotheca,
Londinum.

Ep. XXV.

82 VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO

S. P. D.

J. G. GRAEVIUS.

Jam triduum effluxit, cum litteras ad te dedi per Muray, Scotum domo, sicut ante tres quatuorve hebdomades tibi misi sex exemplaria Callimachi, tibique nomine rei litterariae, quam tibi devinxisti eruditissimis commentationibus in hunc Vatem, gratias egi. Nunc cum ad vos contendat egregius juvenis Risselmannus, cujus reverendus parens Professoris Theologiae personam cum magna dignitate sustinet in Academia Francofurtensi, quae est ad Oderam, non potui non petenti aditum ad te videndum et salutandum patefacere his litteris. Nullus dubito, quin juvenem eximium, qui te, tanquam decus unicum Britanniae colit et suspicit, comiter sis admissurus. Quid novi hic moliantur viri docti nuperius significavi tibi. Dum haec scribo, salutatum me venit Cl. Harwordus, ex quo multa de
83 te cognovi perquam grata. Te per communia quibus tenemur studia obtestor ne quae praeclare in Hesychio et aliis scriptoribus observasti, patiaris situ obsolescere propter incerta casuum humanorum, ne aliquando aut tinearum pabu-

lum, aut fucorum fiant praeda. Vale, Vir singularis, et me tui amantissimum ama. Trajecti D. $\frac{XI}{XXI}$ Sept. CIƆIƆCXCVII.

Viro singulari ingenio, doctrina et virtute,
Richardo Bentleio, SS. Theologiae Doctori et
Regiae Majestati Magnae Britanniae
a bibliotheca
Londinum.

Ep. XXVI.

VIRO MAGNO JOH. GEORGIO GRAEVIO, 84

S. P. D.

R. BENTLEIUS.

Ecce iterum Crispinus: et est tibi saepe legendus. Initio superioris Novembris, cuidam, qui ad vos cogitabat, plus 50 fragmentorum folia tradidi perferenda ad te Trajectum: quae si recte curata sunt, bene habet; sin minus, (ut sane suspicor, quia ex eo tempore nihil literarum a te accepi) *οὐδ' οὕτω κακῶς*. Levis enim omnino est ineptiarum istarum jactura, et in lucro, si recta via rem putemus, jure deputanda. Toto hoc tempore bimestri haesi Vigorniae, quae urbs C. fere M. P. abest a Londino: ibi una cum veteri meo patrono *πολυμαθεστάτῳ* Stillingfleto, qui sedis istius Episcopus est, bene libenter hos menses consumpsi. Nunc re-

ceps ab itinere sex alia folia tibi mitto, quae si tempus locusque sinunt prioribus addi velim.
85 Vah, inquis, in quantam molem excreverunt minuta haec *ἀποσπασμάτια*! ut jam pene videaris tibicinem illum Arabem excitasse,

δραχμῆς ὃς ηὔλει, τεττάρων δ' ἐπαύετο.

Sed noli ulterius quid metuere: jam tandem bona fide finem facio. Vale, diuque bonas literas tecum perituras tuere et orna. Apud S. Jacobum D. XXV. Decemb. ipso D^ni Nostri Natali [CIϽIϽCXCVII.]

Addendum *τοῖς Αἰτίοις*. Johannes Malalas Antiochensis, p. 22: *τὸν δὲ αὐτὸν ἱππικὸν ἀγῶνα ὁ Ἐνυάλιος ἅρμασι διπώλοις ἐφεῦρε, καθὼς ταῦτα συνεγράψατο Καλλίμαχος ὁ σοφὸς ἐν τοῖς Ἐτησίοις αὐτοῦ.* Eadem habet Chronicon Alexandrinum, p. 111, sed pro *Ἐτησίοις* legit *Αἰτησίοις*, sc. *Αἰτίοις*.

Ad fragmenta *μονόστιχα*.

Καὶ νήσων ἐπέτεινε βαρὺν ζυγὸν αὐχένι Μίνως.
Et insularum cervici grave jugum imposuit Minos.

Cyrillus contra Julianum, lib. VI. p. 191: *Ὅμηρος γοῦν ὁλόφρονα γενέσθαι φησὶν*

αὐτὸν (τὸν Μίνωα). Καλλίμαχος δὲ, Καὶ νήσων ἐπέτεινε, etc.

A Monsieur Monsieur
Johannes Georgius Graevius
à Utrecht.

Ep. XXVII.

RICHARDO BENTLEIO VIRO SUMMO 86
S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Ante complures menses misi tibi aliquot Callimachi exemplaria, quae spero recte curata esse. Nam quamvis nihil responsi tulerim, de fide tamen civis tui, cui fuerunt credita, nullus dubito. Si reddita tibi sunt, ex silentio tuo colligo, parum istum novum librum tibi probari. Si tibi improbatur, non tamen non poterit tibi probari nostrum in te studium, quod voluimus omnibus testatum esse, et quod nulla temporis locique longinquitas, nulla litterarum intermissio minuet. Haeres enim in imis meis medullis, nec patiar unquam me quenquam anteire in te amando et colendo. Ciceronis Orationes videbis brevi spero; Philippicae jam exercent operas. Tum aggrediemur Philosophica, ut vester codex post tantam moram ad vos redeat. Quae de Phalaridis Epistolis dudum ex te quaero non itero.

87 Nulla ne spes Hesychii et Manilii tui? Sed nolo te obtundere. Quamvis aegre caream tuis litteris, patientius tamen illarum desiderium feram, si tu valueris, et me non desieris amare. Vale, grande decus nostrum. Trajecti Idibus Februarii CIƆIƆCXCVIII.

For Mr. Richard Bentley, at
his Majestie's Library at
St. James's
London.

Ep. XXVIII.

88 VIRO MAGNO JOHANNI GEORGIO GRAEVIO
S. P. D.
R. BENTLEIUS.

Longe mihi gratissima venit, quae nudius tertius ad me allata est, Epistola, qua de literarum mearum intermissione benevole mecum expostulas. Eam enim objurgationem certissimum esse duco testimonium amoris erga me tui. Sed per amicitiam nostram oro, atque adeo postulo, ut me haud aliter erga te affectum esse credas, quam erga hominem oportet, cui maximis beneficiis sum obligatus. Quod autem jam aliquot menses nullas a me literas acceperis, malim aliud quidvis te suspicari, quam Bentleium tuum vel tui oblivisci, vel subirasci tibi potuisse.

Nulla certe alia caussa erat, praeterquam quod
neminem haberem, qui literas meas ad te per-
ferret. Dum autem exterum aliquem alicunde
expecto, qui insulae nostrae valedicturus me 89
salutatum veniat, semestre ferme tempus intefea
effluxit. Tandem igitur novissimis tuis exci-
tatus, hanc tibi per tabellarios publicos ferен-
dam scribo: quod in posterum saepius faciam;
si verum est utique, quod quidam mihi nuper
narravit, literas tibi inscriptas magistratus vestri
beneficio gratis deportari. De Callimacho au-
tem illud te scire volo; editionem tuam non
mihi solum mirifice probari, sed et omnibus
qui hic sunt eruditis. Sed illa Exemplaria,
quae mihi dono dedisti, ipse quoque amicis
totidem dono dedi; quorum unus, Vir erudi-
tione et dignitate insignis, cum nullo aiebat
scriptore vetere tam praeclare actum esse, quam
modo cum Callimacho. Duo tamen sunt, quae,
si mature fieri potuisset, e praefatione tua vellem
sublata. Prius quod inde tolli meretur, est in-
vidiosa illa sententia, quae *inter splendidissima
Britanniae lumina* me homunculum recenset.
Et posteritas quidem fortasse, quae me meaque
nesciet, ob istud tuum praeconium, me habe-
bit in aliquo numero: praesens aetas sine du-
bio in hoc tuo de me judicio judicium requi-

ret: me certe, in quem ea laus minime convenit, alio me pede, si sapio, metiri oportet. Alterum est (etsi leviusculum sane est, si ad prius illud comparetur; me quidem, cui cornea propemodum fibra est, non valde movet) quod *Versum* ais *secundum* in Epigr. XLIX. *sic legendum esse, postea tibi scripsisse celeberrimum Bentleium,*

Τώῤῥα μένων αἰγᾶν οὐ καθίμασ᾽ ὁ Κύκλωψ,
Illic manens capras non dimisit Cyclops.

O mi amice, quî tibi tunc, amabo te, in mentem venit, ut quod nunquam a me scriptum est, nec per somnium quidem cogitatum, mihi tribueres? Alius nescio quis hanc tecum emendationem tecum communicaverat, non ego. Et tibi quidem meo judicio venia danda est, si memoria, firmissima licet, varietate negotiorum oppressa, vacillaverit: modo ne ille succenseat, a quò tam bellae correctionis gloriam in me transtulisti. Meam profecto non esse, jam faciam ut pro explorato habere possis. Cur enim ego interpreter *τώῤῥα*, *illic?* Scilicet ex authoritate Hesychii, qui habet, *τῷ ῥα, διὸ δή!* et *Τό ῥα, ὅπερ δή.* Quo haec pertineant, aut quid ad *illic* faciant, sane nescio. Nam *διὸ δὴ* notant *Quamobrem quidem; ὅπερ δὴ* autem,

Quod quidem. Quid vero illud *αἰγᾶν?* hoc
quidem, ut videtur, pro genitivo Dorico poni-
tur; sed perperam omnino. Neque enim *καθι-
μῶ* cum casu genitivo verum accusativo copula-
tur: neque *τὸ αἰγᾶν* Doriensium dialectus est,
sed *αἰγῶν.* In prima quidem et secunda nomi- 91
num declinatione genitivus Doricus exit in *ᾶν,*
in ceteris minime. Non sum nescius haud pauca
apud Theocritum loca contrarium docere; et
Epicharmi illud a Scaligero et Grotio sic editum,

> *Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα*
> *τᾶν φρενᾶν.*

Sed tamen probe scio ista omnia loca esse mendosa. Jam illud, quod sequitur, *καθίμασ',* quod Latine vertitur *dimisit,* fidem tuam, Vir Magne, hoccine ut ego scribere possem? *Καθιμᾶν* nunquam notat dimittere, sed demittere, et quidem per funem et lorum. At quid, malum, Cyclopi cum fune, nisi de se longam literam facere vellet. Non corripit autem syllabam mediam quod corrector iste opinatus est, sed producit, Aristoph. in Vespis, p. 324, edit. Frob.

> *Ἀλλ' ἐξάψας διὰ τῆς θυρίδος τὸ καλώδιον,*
> *εἶτα καθίμα*
> *Δήσας σαυτόν.*

Quod si omnia haec, quae in verbis culpanda
sunt, bene se haberent; quam inepta tamen
sodes sententia! quam meque teque et eleganti
hac editione indigna! Et olim forte erit, qui
ob inficetam hanc conjecturam stylum in me
acuet, et mordaci sale bene defrictum literato
92 orbi ridendum propinabit. *Ἀλλὰ τὰ μὲν προ-
τετύχθαι ἐάσομεν.* Illud laudo, quod in eadem
Praefatione novum Epigramma Cyrenensi nostro
vindicas. Omnino enim, ut vere dicis, Calli-
machi genium indolemque respirat. Vocabulum
ibi primum *Κυνθῖδες* in mendo cubat. Quippe
a recto *Κυνθὶς* esset *Κυνθίδες*, media syllaba
brevi. At a *Κύνθος, Κύνθιος*, non dicitur *Κυν-
θὶς*, sed *Κυνθιάς*. Legendum itaque *Κυνθιά-
δες θαρσεῖτε.* Et sic plane extat apud Sui-
dam in *Κυνθ.* et apud ipsum Callimachum
Hymn. Apoll. v. 61. *Καρήατα συννεχὲς αἰ-
γῶν Κυνθιάδων.* Unde etiam firmatur veteris
Cod. autoritas, qui Epigramma istud Callimacho
adscribit. Fefellit te memoria, cum versicu-
lum istum,

Σὺν δ᾽ ἄμυνδις φορυτόν τε καὶ ἴπνια λύματ᾽
ἄειρον,

abesse a fragmentis nostris credidisti. Extat enim Num. 216, et apud Annam etiam Fabram.

In Illustrissimi Spanhemii Fragmentis quinque reperio, viz. V. VI. IX. XLIX. LIX. quae ego praetermiseram. Sed ex his IX. quod quinque versibus constat, non est Callimachi; sed ex Elegis Dionysii *τοῦ Χαλκοῦ.* Mecum senties scio, si paginam integram leges Athenaei 669. Vidit hoc et Casaubonus in Notis; cujus emendationem hic sequitur Vir Illustrissimus: sed, nisi me omnia fallunt, perperam. Sic enim lo- 93
cus constituendus videtur:

Ὦ Θεόδωρε, δέχου τήνδε προπινομένην
Τὴν ἀπ' ἐμοῦ ποίησιν· ἐγὼ δ' ἐπιδέξια πέμπω,
Σοὶ πρώτῳ, Χαρίτων, ἐγκεράσας χάριτας.

Theodorus iste (quod et Cynulco nomen fuisse, sive serio, sive dicis caussa, dicit hic Democritus) erat Symposiarchus. In hujus honorem Dionysius Chalcus cantilenam incipit: quod et omnes deinceps convivae facere debebant; et in his primus Charito, qui Dionysio proximus accubuerat ad dextram. Charito, nomen viri. Nosti illud, *Εὐδαίμων Χαρίτων καὶ Μελάνιππος ἔφυ.* At vero, a *χάρις, χαρίτων* in hoc versiculo stare non potest; quia nullus hic genitivo est locus. De emendatione illa Hesychii merito te amo, et habeo gratiam. Equidem accedo ad sententiam tuam, non ibi *τὴν σειρὴν,*

sed σειρῆνα intelligi. In eo tantum a te dissentio, quod nullum verbum excidisse putem; ita quippe locum corrigendum: *Σειρὴν, ἀναδέσμην, καὶ μέλιττα*, etc. Hoc est, *Σειρὴν*, ut accusativus, *ἀναδέσμην* notat; ut rectus, *μέλιττα*, etc. Sexcenta hujus generis apud hunc scriptorem occurrunt. Homerus etiam, qui omnium ferme Hesychianarum vocum fundus est,
94 *σειρὴν* saepe habet casu accus. nunquam *σειρή*. Quare, ut opinor, jam satis certa est hujus loci scriptura. Gratissimum est quod nuncias, in Cicerone ornando te pergere, brevique ejus Orationes lucem visuras. Sparsa vero hic erat in vulgus fama, te Togatum istum de manibus deposuisse; dare autem operam Ser. Regis Gulielmi Annalibus condendis. Quaeso ut memineris Philosophicorum Exemplar, non mihi, sed Johanni Moro Episcopo Norvicensi acceptum referre; si forte in praefatiuncula ejus codicis mentionem feceris. Olim enim, cum Alberti Rubenii libellum mihi dedicares, nulla habita Edvardi Sherburni mentione, cujus beneficio codicem illum habuisti, ut disertis verbis tibi dixeram; vix potui effugere malevolorum calumniam. Locus est in III. de Oratore, c. 35, manifesti mendi compertus; quod etsi omnes omnium editiones, quod sciam, obsederit; non

dubito quin a te sit animadversum. *Aristoteles,*
cum florere Isocratem nobilitate discipulorum
videret, — mutavit repente totam formam
prope disciplinae suae, versumque quendam
de Philocteta paullo secus dixit. Ille enim turpe
sibi ait esse tacere cum Barbaris: hic autem,
cum Isocratem pateretur dicere. Sine dubio
corrigendum; *Ille enim turpe sibi ait esse ta-*
cere, cum barbaros; hic autem, cum Isocra- 95
tem pateretur dicere. *Ille* siquidem (is est
Philoctetes Euripidis) dixerat,

Αἰσχρὸν σιωπᾷν, βαρβάρους δ' ἐᾷν λέγειν,

Hic autem, nempe Aristoteles, versum παρῳδήσας,

Αἰσχρὸν σιωπᾷν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾷν λέγειν.

Quod ad Dissertationem meam attinet de Phalaridis, etc. Epistolis, deque Fabulis Aesopicis; scito eam esse Anglice scriptam; nam ni ita esset, jamdudum exemplaria aliquot ad te misissem. Edita est abhinc quinquennium circiter a Gulielmo Temple Equite Disputatio, qua conatus est ostendere, vetustos scriptores in omni scientiarum laude aetatis nostrae hominibus praeripere palmam. Sic Homerum, qui poema primus composuit, sic Phalarin, qui Epistolas, Aesopum, qui Fabulas; singulos in suo scri-

bendi genere caeteris omnibus praestare. Hunc
librum refutandum suscepit Gulielmus Wotto-
nus amicus noster; qui cum forte ex me au-
dierat Phalaridis Epistolas esse commentitias,
Fabulasque, ut nunc quidem extant, Aesopi
non esse; per veterem, quae sibi mecum inter-
cedit amicitiam obsecrans impetravit, ut Disser-
tationem ea de re scriberem una cum libro suo
96 erudito sane et bono publicandam. Adjunxi
tres alias dissertatiunculas, de Themistoclis, So-
cratis, Euripidisque Epistolis. Omnes has sup-
posititias esse tot docui argumentis, ut de hac
re postea ne Carneades quidem dubitare potue-
rit, si esset in vivis. Multa quoque illic in
transcursu dicta sunt; quae, si Anglice scires,
haud displicitura tibi fore satis scio. De Hesy-
chio, Manilioque, et aliis nonnullis, quibus
olim manus admovi, quid sit futurum, sane ne-
scio. Nunc quidem, ut ipse indies doctior eva-
dam, id ago sedulo; sed de libris edendis con-
silium capere stultum esset, ob immanem in his
regionibus chartae caritatem. Vale, Vir ma-
xime, et me ama.

Londini, XV Februarii CIↃIↃCXCVIII.

Ep. XXIX.

VIRO καναρίστῳ JOANNI GEORGIO GRAEVIO 97

S. P. D.

RICHARDUS BENTLEIUS.

Quid fit, quid agitur, amicorum dulcissime? Si vales, bene est; ego quidem sic satis valeo; et ubi te bene valere et Bentleium tuum amare intellexero, tum demum me optime valere sentiam. Jam pridem est cum ad postremas tuas prolixam responsionem dedi, quam an acceperis, nescio, quia ex illo tempore nihil a te. Vix tamen dubitare possum de tabellariorum fide et cura; cum eadem vice literas alias meas Amstelodamum recte curatas fuisse, certo resciverim. In ea epistola multis verbis egi de loco Ciceronis, aliisque, quae nunc mihi exciderunt. Memini tamen me illa scripsisse, a magna animi commotione, quam malevoli quidam homines in me excitarant, non plane liberum et quietum. Vereor itaque, ne nonnulla in iis literis duriuscule dicta sint, unde offensiuncula aliqua oriri possit. Ea siqua sunt (sed spero meliora, nam 98
Epistolae exemplum non habeo) oro te atque obsecro per omnia fidelissimae amicitiae jura, ut ventis Aquilonibus in mare Atlanticum portanda tradas. Sciunt enim omnes, qui me norunt;

et si vitam mihi Deus O. M. prorogaverit, scient etiam posteri, ut te et *τὸν πάνυ* Spanhemium, geminos hujus aevi Dioscuros, lucida Literarum sidera, semper praedicaverim, semper veneratus sim.. Nunc quid tecum in praesentia velim, vir humanissime, paucis accipe. Anno superiore Dissertationem edidi de Epistolis Phalaridis, quas commentitias esse docui his et similibus argumentis; Obitum Phalaridis, secundum Eusebium et Suidam, incidere in Olymp. LVII. In Epistola autem ultima mentionem esse *Φιντιέων*. Phintiam vero urbem Olymp.*) demum CXXV. conditam, ab Agrigenti tyranno Phintia nomen habuisse. Ibidem una cum Phintiensibus nominari *Γελώους*, tanquam ab illis diversos: atqui eosdem esse Phintienses**), qui antea Geloi dicti. Epistolâ XCII. *εἰς Ἄλαισαν*. Sed Alaesam primum conditam esse Olymp. XCIV.***). In Ep. LXX. *ποτηρίων θηρικλείων*: Pocula autem Thericlea a Thericle figulo appellari †) qui aequalis erat Aristophanis
99 Comici. In Ep. LXXXV. *Ζαγκλαίους*, in XXI.

---

*) Diodor. p. 867.
**) Idem. ibid.
***) Idem. p. 246.
†) Athen. p. 470.

et LXXXIV. *Μεσσηνίους.* Sed eosdem esse Zanclaeos, qui*) Messenii vocati Olymp. LXXIII. sub Anaxilao Rhegii tyranno. Ep. XV. et aliis *Τυρομενείτας*, Taurominium**) autem cond. Olymp. CV. Ep. XXXV. *λόγος ἔργου σκιά:* hujus***) sententiae autorem fuisse Democritum, post Olymp. LXXX. Haec et alia multo plura quanquam in ista Dissertatione fuse explicantur, nuper tamen exorti sunt, quos haec nostra arrodere, Phalarinque pro vero Epistolarum autore denuo venditare non puduit. Quae, inquies, haec insania est, in luce tam manifesta tenebras persequi? Scilicet id male urebat homines, quod Epistolas illas, quas ipsi haud ita multo ante cum magna pompa et ostentatione Oxonii ediderant, ego spurias esse, et nullius frugis, omnibus demonstraverim. Collatis itaque operis Libellum Anglice scriptum consarcinant; non argumentis, sed ineptis cavillationibus, conviтiis, calumniisque rem strenue agentes. Inter alia id etiam vitio mihi vertunt, quod exterorum, magis quam nostratium gratiam promereri studeam. Et vix quidem a te et Spanhemio

*) Thucyd. Herod.
**) Diod. Lib. XIV. XV.
***) Laert. Plutarch.

maledicas linguas abstinent, quia me a vobis amari sciunt; in me vero quam impudens mendacium conflaverint, jam audies. Meministi, opinor, me olim Alberti Rubenii de Manlio Cos. Disputationem ab Edvardo Sherburno Equite acceptam, tibi typis vestris edendam commisisse: te autem, me plane inscio, librum illum mihi dedicasse; de Sherburno autem nullam omnino (quod magnopere fieri optabam) mentionem fecisse. Narrant itaque hi calumniatores, me data opera Sherburni beneficium silentio dissimulasse, ut solidam illam Dedicationis gloriam in me transferrem. Quae quidem calumnia quam a vero aliena sit, tu, vir amicissime, et Deus ὁ παντοδαὴς testes mihi estis. Testis etiam est Johannes Morus Episcopus Norvicensis, vir eruditione et humanitate insigni; qui literas ad me tuas legisse meminit, quibus gratias eo nomine agebas Sherburno, ejusque ad Manilium commentarium a me magnopere laudatum te emere velle memorabas. Sed nescio quo casu periit mihi ista tua Epistola, quam nunc talento magno redemptam vellem . . . . cum ergo superest, peto a te, vir maxime, et per summam nostram amicitiam etiam atque etiam oro te atque obtestor; ut quam primum fieri poterit, Epistolae meae, in qua verba feci de Sherburno,

exemplum mihi remittas; tum ut literas mihi scribas, quae rem omnem, ut gesta est, narrent; meque, ut aequum est, ab hac culpa absolvant; et una cum Dissertatione nostra mox recudenda typis edantur. Noli autem metuere, nè in 101
rixam hanc incurras, aut irrites crabronum examina. Jactu enim exigui pulveris hae turbae consilescent. τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ: et quicquid mea gratia scripseris, omnibus doctis et bonis, Archipiescopis Episcopisque faventibus scribes. Vale. In Aed. Sti Jacobi, 29 April. 1698.

Sic litteras inscribe per tabellarios publicos mittendas:

For Doctor Richard Bentley
Library keeper to his Majesty
At St. James's
London.

A Monsieur
Monsieur Johannes G. Graevius
Professeur à
Utrecht.

Ep. XXX.

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS

S. P. D.

102 RICHARDO BENTLEIO, VIRO SUMMO.

Litteris tuis, quas Februario superiore ad me, quamvis nihil iis acceptius et optatius mihi potuit offerri, serius respondeo, non quod immemor fuerim officii, sed quod Epistolam illam, qua nonnulla fragmentis Callimachi adjici volebas, quae ego prooemio inserui, cum jam omnia cetera typis essent descripta, diu frustra quaesivi. Nec enim exputare possum unde illa, quae tua negas esse, excerpserim. Itaque non putabam me ante tibi posse satisfacere, quam illam inspexissem epistolam, et num me mei oculi, aut memoria fefellerit inde cognovissem. Quamvis vero non perierit, qui omnia tua custodio diligentius nigris uvis, nescio tamen in quem se angulum bibliothecae abdiderit, ex quo nondum potuit erui. Nunc visa tua novissima epistola, quam pridie, cum ex itinere menstruo fere do-
103 mum revertissem inveni domi meae, diutius cessandum non duxi. Ad priores, pro quibus tibi *δίδακτρον* debeo, brevi respondebo. Jam ad has, quas 29 Aprilis exarasti, haec habe. In litteris, quas Londini in aedibus Episcopi

Wigorniensis scripseras, IV Julii 1692, haec tu
ad me: „Est apud nos Edvardus Sherburnus,
Eques Auratus, qui librum primum Manilii Anglice vertit, et commentario doctissimo auxit.
Is abhinc annis aliquot apparatum Casp. Gevartii
ad Manilium ab ejus haerede emit Antwerpiae;
mihique non ita pridem, quem novam ejus
scriptoris editionem parare inaudiverat, schedas
Gevartianas perlegendi copiam fecit. Comperi
autem virum clarissimum omnem operam in eo
posuisse, non qui Manilii textum corrigeret vel
illustraret, sed qui infelicem suam (mea quidem
sententia) conjecturam de Theodoro Mallio Cos.
quem Astronomiae auctorem esse voluit, adversus Barthios et Salmasios, et Tristanos et Possinos defenderet. Nihil tamen in medium profert, quod momenti habeat quicquam ad opinionem suam stabiliendam, praeterquam quae
dudum in lucem ediderat in *Papinianis* et *Variis Lectionibus*. Itaque cum toties repetita
crambe nauseam mihi et fastidium moveret;
mirifice tamen recreatus sum aureolis duabus
epistolis, quae in isto chartarum fasce latitabant,
quaeque celeberrimum Graevii nomen ferebant 104
inscriptum. Illud vero me perculisse fateor,
quod ad Gevartii sententiam de aetate Manilii
videaris accedere": et quae sequuntur de opi-

nione Gevartii, quam damnas. Post haec addis: „Erat autem praeterea, quod me Adversaria ista versantem non mediocri voluptate affecit, Dissertatio scilicet bene longa et perquam erudita de vita Fl. Mallii Theodori Cos. auctore, ut casu comperi, Alberto Rubenio; cujus *Opuscula Posthuma*, te obstetricante, in lucem prodierunt. Hanc meo judicio minime dignam quae cum blattis et tineis diutius conflictetur, curabo tibi mittendam; si ejus editionem te procuraturum fore polliceris: et quidem vel unà cum aliis quibusdam, vel etiam sola non incommode edi poterit.“ Haec *αὐτολεξεὶ* in epistola tua, ex quibus luce meridiana clarius patet, non tuam, sed meam culpam esse, quod, cum Commentationem Rubenianam ederem, non meminerim hujus epistolae, et propterea non debitas gratias persolverim Viro nobilissimo Edvardo Sherburno pro communicato cum utroque nostrum hoc Rubenii libello. Ipse aut negligentiam aut oblivionem meam detestor, et culpam deprecor. Meae responsionis nullum servavi exemplum, aeque ut nec aliarum. Illud memini, me Sher-
105 burnii Manilium, quem ex tua epistola cognovi plane mihi ante ignotum, saepe desiderasse. Doleo tibi conflictandum esse cum talibus ingeniis, quae, ut ex aliorum amicorum epistolis

intellexi, illa, quae dudum ab iis, qui in orchestra sedent, fuerunt explosa, nullis argumentis, sed inanibus cavillationibus student asserere tanquam genuina. Idem etiam aiunt fecisse Fabularum Aesopiarum editorem Oxoniensem, cujus tamen musteum librum nondum videre mihi licuit. Sed hoc scio, et a multis annis doceo, Fabulas, quae nunc circumferuntur pro Aesopeis, ab homine Graecae linguae imperito fuisse consarcinatas. In qua sententia fuisse quoque Henricus Stephanus videtur, qui in Thesauro suo Graecae linguae ne unicum ex his fabulis producit verbum, aut locutionis exemplum, cum haut temerè scriptorum idoneorum quenquam praeterierit. Tu paucis hoc hominum genus potes conficere, qui hoc uno erunt felices, quod Aeneae magni manu ceciderint.

Manethonis ἀποτελέσματα cum Jacobi Gro-
novii versione tandem prodierunt, quae te ju-
beo exspectare cum Phaedro Gudii, et Disser-
tatione Huetii de Navigationibus Salamonis, quae
modo lucem adspexerunt. Hanc ubi legisti,
pervelim ex te audire, num ejus probes sen-
tentiam, quae censet *Ophir* fuisse *Sofolam* in 106
Africa, veteribus cognitam fuisse navigationem
ex sinu Arabico per Aethiopiam et Atlanticum
mare ad Gades. Tu quo saepius ad me litteras

dabis, tanto me tibi arctius devincies, et tanto frequentiores a me habebis. Noli mihi parcere propter κόμιστρον. etsi longe majus mihi esset pendendum, penderem tamen cupidissime, tantam ex tuis litteris capio voluptatem. Librum, quem oppones Oxoniensibus, ardeo videre, licet vestra lingua sit scriptus. Num abjecisti consilium edendi Hesychium et Manilium? Vale, Vir magne et tibi persuade, te doctos omnes viros maximi facere, rumpantur ut ilia Codris, sed neminem esse qui te majoris faciat, et magis aestimet, quam ego te facio.

Ep. XXXI.

107 VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO

S. D.

J. G. GRAEVIUS.

Quas hebdomade superiore, cum ex itinere Hollandiae Borealis domum revertissem, tuis XXIX Aprilis datis reposui, recte curatas spero. In iis tibi misi verba tua excerpta ex epistola, quam exararas ad me Londini in aedibus Wigorniensis Episcopi IV Julii 1692. In ea mihi significaras te apud Edvardum Sherburnum, Equitem Auratum, inter scidas Gevartianas, quas suo sibi comparasset aere, invenisse diatriben Alberti Rubenii eruditam de Vita Fl.

Mallii Theodori, quam mecum te communicaturum promittebas, si ejus edendae operam in me suscipere vellem. Haec spero tuis aemulis os obstructura. Nunc cum iste egregius juvenis Olearius, domo Saxo, accinctus sit itineri ad vos, petenti litteras, quibus aditum sibi patefaciat ad te, quem dudum colit et admiratur, hoc
officium debere non potui. Cognosces juvenem 108
integerrimae vitae, et nostrarum artium cupidissimum, quem quin benigne sis excepturus, ut ceteros quos tibi tradidi, qui tibi semper apud me ingentes egerunt gratias, nullus dubito. Dedissem ei Ἀποτελέσματα Manethonis tibi reddenda, si ullum apud nos extaret exemplum venale. Habebis tamen illa propediem. Vale, Vir amicissime, et me ama. Trajecti A. D. IX. KL. Jun. CIↃIↃCXCVIII. Superiores litteras commisi tabellariis publicis.

For Doctor Richard Bentley,
Library keeper to his Majesty
at St. James's
London.

Ep. XXXII.

109 VIRO ET AMICO SUMMO RICHARDO BENTLEIO

S. P. D.

J. G. GRAEVIUS.

Te vivere, valere, et ex sententia rem gerere spero, quamvis longinquitas temporis, qua nihil de te tuaque valetudine audio, me sollicitum habeat. Litteras priores recte curatas spero. Has nunc tibi feret Vir πολυμαθέστατος, Ulricus Meurerus, domo Wirtembergensis, qui variam diffusamque doctrinam, qua instructus est, tibi probabit simul ac illum audieris. Multa molitur publico profutura, historiam rei litterariae, quae Francofurti exercet jam proela, σύνταγμα Scriptorum Argonauticorum, Eunapii novam editionem, et alia. Ad quae ut plura sibi comparet subsidia vestram beatam insulam sequitur, tuique inprimis videndi, qui illius decus es, desiderio tenetur. Omnes, quibus litteras ad te dedi, multas tibi apud me gratias egerunt. Nullus dubito, quin et hunc virum
110 eximium sis complexurus, et hujus itineris comitem Hasse nomine, Holsatum gente, qui et ipse, optimarum artium flagrat cupiditate. Hi tibi tradent Manethonem a Jacobo Gronovio

publicatum, quem olim desiderabas. Spero illum te inflammaturum ad Manilii editionem, cujus spem fecisti, accelerandam. Tuum responsum de Phalaridis Epistolis expecto cupide. Tullii Orationes in paucis mensibus videbis. Pollux Kuhnii cum annotationibus Gothofredi Jungermanni in septem priores libros, quae in Saxonia repertae sunt, brevi proelis subjicientur. De Manethonis aetate quid sentias si mihi significare volueris, multum te amabo. Palmyrenae Inscriptiones semel iterumque apud vos editae cum Thomae Smithi et Bernardi τοῦ πάνυ observationibus in hac urbe typis mandantur. Episcopi Abrincensis Dissertationem de Navigatione Salamonis in Ophir credo te vidisse. Potestne tibi probari veteribus Periplon Africae per promontorium, quod Bonae Spei dicitur, fuisse cognitum? Genevae virorum doctorum epistolae inter quas et non paucae Camdeni, ad Peirescium, lucem videbunt. Vale, Vir clarissime, et fac quaeso ne diutius tuas desiderem. Trajecti D. X. Augusti CIϽIϽCXCVIII.

Ep. XXXIII.

111 RICHARDO BENTLEIO VIRO SINGULARI INGENIO
ET DOCTRINA S. D.
J. G. GRAEVIUS.

Nemo, qui optimis artibus operam dat, ad vos contendit, quin petat a me tesseram admissionalem ad te. Facile patior homines de me sic sentire, quasi plurimum apud te valeam. Sed cum et tu pro tua facilitate benigne et comiter admittas, qui meas ad te ferunt, non potui hoc officium debere duobus praestantissimis juvenibus Lipsiensibus Menkenio et Schuzio. Ille celeberrimi Menkenii, auctoris praecipui Actorum Eruditorum, quae Lipsiae publicantur, est filius; alter vero Amplissimi Viri, qui olim Senator et Aedilis illius Reipublicae fuit. Quicquid in hos benevolentiae et comitatis contuleris, in me collatum putabo. Mea vicissim in te constabunt officia, ubi illa tibi navandi fuerit facultas. Vale, Virorum
112 doctorum et meorum amicorum decus. Trajecti D. XXV. Augusti Gregor. CIϽIϽCXCVIII.

Viro Reverendo et Clarissimo
Richardo Bentleio, Magnae Britanniae
Regi a bibliotheca,
Londinum.

Ep. XXXIV.

VIRO SINGULARI INGENIO ET DOCTRINA 113
RICHARDO BENTLEIO S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Te quidem valere et rem bene gerere spero et opto, quamvis nec de tua valetudine, nec de te ipso dudum quicquam audiam. Ego id aetatis satis valeo, nec multis senectutis incommodis conflictor. Horas vespertinas et nocturnas impendo rebus Magni Gulielmi memoriae prodendis, diurnas, quas vacuas a functionis meae muneribus habeo, impendo Ciceroni expoliendo, cujus Orationes cis duos menses videbis. Tu quid moliaris aveo rescire. Non enim puto te deterreri a quorundam voculis et asperioribus dictis a pulchrarum observationum in omne genus scriptorum editione, qua invidiae et calumniae os obstrues. Apologiam, cujus olim spem fecisti, quando habebimus? Magna laetitia me tuae perfundent litterae, qui, si quisquam, te amo, utque tibi ex sententia proveniant omnia voveo. Qui has tibi fert litteras 114
est nobilis Danus, optimarum artium cupidissimus, Paullus Paulsonius, qui ad vos contendit, ut studiis invigilet, et ut te Britanniae orna-

mentum videat, quem nullus dubito, quin sis benigne comiterque, qua es facilitate et humanitate, accepturus. Amsterodami eduntur Augustini opera. Parisiensem novissimam editionem recoquent, ut et Theologica dogmata Petavii, et ejus Demonstrationem temporum. Clericus constituerat tam Augustino quam Petavio notas apponere, sed intercesserunt Parisienses. Vale, Vir summe, et me ama. Trajecti A. D. V. KL. Martias CIƆIƆCXCIX.

Excellentissimo Viro
Richardo Bentleio, Magnae Britanniae Regi a bibliotheca.

Londinum.

Ep. XXXV.

118 VIRO ET AMICO SUMMO
RICHARDO BENTLEIO S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Pro tua, quam mihi misisti, Apologia, maximas tibi ago gratias. Nihil vulgare mihi de illa spoponderam, sed vicit opinionem meam doctrinae varietate et copia, quae supra hujus argumenti, in quo elaborasti, mediocritatem assurgit. Non poterunt ii, qui hanc Camerinam moverunt, quicquam tibi reponere, si quid unquam reposituri sunt, quam argutias et cavillationes. Nunc quo ego te remunerer nihil in-

venio. Brevi tamen spero aliquid erit in mundo. Pollucis Onomastico cum notis Kuhnii, et Gothofredi Jungermanni, cujus in sex priores libros inventi sunt commentarii postumi, brevi proela subibunt. Ad hanc editionem expoliendam si quid conferre volueris, potes enim, praedicabunt Editores tua beneficia. Num spes Hesychii plane decollavit? Nuper hic prodierunt Venusinae Lectiones Rutgersii, quae tot annos 116
jacuerunt post ejus fata. In iis multa sunt eruditionis et ingenii politissimi argumenta, quaeque interpretes Horatii ceteri non animadverterunt. Si non vidisti, faxo ut videas, si resciero te illas non vidisse. Has tibi feret Theologiae studiosus, qui Francofurti ad Viadrum ludo litterario praeest, Myfortius. Is hoc iter suscepit, ut vestram beatam insulam perlustret, et te quoque decus ejus videat. Quin comiter eum sis, pro tua singulari erga omnes humanitate, accepturus, nullus dubito. Ego si quando litteras tuas videro triumphabo. Vale, praestantissime Bentleie, et me ama. Trajecti, A. D. III. Non. Maii CIↃIↃCIC.

Viro Reverendo et Excellentissimo
Richardo Bentleio, S. S. Theologiae
Doctori, et Magnae Britanniae
Regi a bibliotheca.

Londinum.

Ep. XXXVI.

117 VIRO ILLUSTRI RICHARDO BENTLEIO
S. P. D.
J. G. GRAEVIUS.

Si apud te recte est, gaudebo mirifice. Nam cum te amem unice, tantique faciam, ut tecum conferam paucos, neminem praeferam, non poterit non mihi summae voluptati esse, si te valere et agere ex sententia intellexero. Ego pro grandioris hujus aetatis meae ratione adhuc valeo. Has tibi reddet juvenis eruditissimus Necorus, qui adolescens scripsit diatriben de Veteribus Interpretibus Homeri, post in hac urbe Bibliothecam novorum librorum. Ab Electore Brandeburgico illi jam mandata est provincia docendi litteras politiores in Illustri Gymnasio Berolinensi; sed potestatem etiam petenti dedit proficiscendi in vestram beatam insulam, excolendi magis magisque ingenii, et vestras bibliothecas
118 perlustrandi, doctosque viros cognoscendi causa. In quibus cum tu principem locum teneas, tui imprimis videndi ardet desiderio. Nullus dubito quin, qua es humanitate in omnes, praecipue humanitatis non expertes, virum egregium sis complexurus, et aditum cum ad bibliothecas, tum ad homines eruditos in vestro regno muni-

turus. Quicquid in illum contuleris, in me collatum existimabo. Hesychius Phorbaei brevi proelo subjicietur cum Henrici Vallesii et Danielis Heinsii, nec non aliorum observationibus; ut et Pollux cum notis Kuhnii, et Gothofredi Jungermanni in priores sex libros satis copiosis. Nam ne hanc telam detexeret, acerba Viri Insignis fata intercesserunt. Meum Hesiodum denuo typis mandare constitui. Si ad hos scriptores ornandos aliquid conferre volueris, nam posse te norunt omnes, a me omnibusque Φιλομούσοις magnam inibis gratiam, nec immemores tuorum beneficiorum praecones invenies. Vale, Vir summe, et me ama. Trajecti Batavorum D. IX. Octobris Gregor. CIƆIƆCIC.

Pro doctissimis tuis dissertationibus de Phalaridis Epistolis gratias tibi nuperius egi, cum Germano adolescenti litteras ad te commisi. Quam multa didicerim ex hoc libro pulcherrimo et varia doctrina eaque recondita referto, 119
malo apud alios, quam apud te. Iterum Vale.

Viro summi ingenii et doctrinae
Richardo Bentleio, Potentissimo
Magnae Britanniae Regi a
bibliotheca.

Londinum.

Ep. XXXVII.

120 VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO

S. P. D.

J. G. GRAEVIUS.

Non miraberis saepius me litteras ad te dare juvenibus bonae mentis ac Φιλομαθέσι. Nemo me audit de cultioribus artibus disserentem, quin et audiat saepius commemorantem tui ingenii, doctrinae ac virtutis, laudes meritas. Hinc omnes te videndi, cognoscendi, et coram, quem ante suspiciebant, venerandi desiderio tenentur, quicunque in vestram beatam insulam contendunt. Qui has tibi feret Germanus est optimus, et pro captu aetatis satis eruditus juvenis, omnis sane eruditionis cupidissimus, quem si comiter admittere dignaberis, augebis numerum eorum, qui te colunt, et tua in me beneficia. Quid scribam de re litteraria vix invenio. Vita Procli, quam Marinus memoriae prodidit, integra in Germania est edita, cum non exigua pars adhuc fuerit desiderata. De
121 Inscriptionum Veterum corpore, quod hic moliebatur Halma, nuperius tibi scripsi; sed nunc videtur ab hoc instituto deterritus nescio quorum suasu, et sumtuum magnitudine, praecipue cum pauci sint qui nomina velint dare ad emen-

dum hoc opus, alienior esse, quamvis per se illius edendi curam susceperit summisque precibus a me petierit, ut meis id sibi liceret auspiciis publicare. Ineditarum tamen a Gudio collectarum, et quas ipse non paucas conquisivi, volumen ut adornetur studebo. Romae fatis concessisse Fabrettum nonagenarium, qui paucis ante obitum diebus, cum suas Inscriptiones mihi mitteret, se de agro Romano commentarium proelis subjecturum mihi significarat, credo te audisse. Amsterodamenses etiam senem pereruditum Stephanum Morinum extulerunt. Pauci in his et aliis gentibus succrescunt viris tam eximiis. Te Deus diu servet incolumem, qui inter primos es, qui rei litterariae dignitatem sustinere et propagare potes. Vale, et me ama. Trajecti prid. Kal. Sextiles Dionys. CIϽIϽCC.

Illustri Nomini Tuo
addictissimus
Graevius.

Viro ingenio, doctrina, virtute illustri
RICHARDO BENTLEIO
S. S. Theologiae Doctori, et Augusto Britanniae Regi a bibliotheca.
Londinum.

Ep. XXXVIII.

122 VIRO ILLUSTRI JOANNI GEORGIO GRAEVIO

S. P. D.

JACOBUS CAPELLUS.

Reverendus Doctor Bentley heri mihi dixit se scripturum esse ad te, Vir Inclyte, de loco quem Berniera, Italus tibi notus, nuper mihi aiebat apud vos vacuum esse; munus nempe docendae Hebraicae linguae. Hanc ego provinciam per septem et viginti annos gessi in Academia Salmuriensi; nec mihi tunc quicquam jucundius fuit quam Codicis Sacri utriusque linguarumque et rerum ad hunc intelligendum necessariarum studio incumbere. Primo, medio, et extremo tempore quo in patria mea urbe publice docui, successor parenti meo datus, iis testimoniis a Senatu cum Academico tum Ecclesiastico ornatus sum, quae meos mores, meosque de Religione sensus tutentur. Hic per tria lustra suavissime expertus sum benevolentiam et officia Nobilium aliquot ac Praesulum. Verum
123 Anglicae linguae prorsus imperitus nunquam animum induxi sacris ordinibus initiari. Si vero in praeclaro illo Ordine, ubi tu inter Collegas tantum decus quaesiisti, Locum aliquem nanciscar, cavebo diligenter ne aut mihi desim, aut

cuiquamdem causam offensionis ullam. Haec ut
apud te auderem exponere non quaestus amor
me impulit; non honoris, sive ornamenti, ex-
trinseci; cujus olim non omnino expers fui, qui
diversis temporibus Academiae, ubi degebam,
per quatuor annos Rector fuerim; sed cupidi-
tas fungendi antiquo labore meo, diverso ab
illo onere quod mihi exilii, familiaeque ratio, et
invicta necessitas hactenus imposuit. At vincu-
la tandem rumpere jus fasque sit. Annum ae-
tatis primum et sexagesimum fere explevi: ta-
men si mihi in scribendo dextra, auresve ali-
quantum tardae sint, nullo certe unquam dolo-
re laboravi, quo soleat senectus conflictari; qui-
ve studiorum cursum, mentisve alacritatem, aut
corporis, ullatenus reprimat. Licentiam hanc
meam quin aequi bonique consulturus sis nul-
lus dubito: ad eam enim me incitavit familiaris
ille tuus omni laude abundans, a quo literas
cum hisce conjunctas accepturus es. Quis au-
tem praeterea nescit facilitatem in te et huma-
nitatem, morumque suavitatem, cum eruditione
certare? Utinam igitur, Vir Clarissime, tibi 124
tuisque cunctis diuturna summaque vitae com-
moditas ac jucunditas contingat. Vale.

Londini, 4° Cal. Augustas
anno MDCC.

Si quid mihi mandare digneris, tuto ad me perferetur hac inscriptione, To Mr. I. Cappel in James Street Westminster near Petty France, London.

Inclyto et Excellenti Viro
Joanni Georgio Graevio
Trajectum ad Rhenum.

Ep. XXXIX.

125 RICHARDO BENTLEIO VIRO SUMMO
S. P. D.
IOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

Cum diu nihil de te audierim, magno tamen tui desiderio tenear qui te in primis nostri seculi ornamentis colo et suspicio, nolui hanc occasionem memoriam meae in te observantiae refricandae. Has tibi tradet Franciscus Burmannus, Francisci celeberrimi Theologi filius, Petri collegae mei elegantissimi frater. Praeconem verbi divini agit apud Brielanos, quas partes etiam sustinebit apud Legatos nostros, qui mittuntur ad Vos, ut Serenissimae Reginae de auspicata inauguratione regni gratulentur, et foedera ante inita firmius sanciant. Burmannus Hebraice, Graece, Latine est pereruditus, in Philosophia, in Mathematicis artibus, et omnis doctrinae varietate versatus egregie. Excel-

lit etiam pietate, integritate vitae et morum
suavitate. Te dudum is admiratur et suspicit, 126
et tanta tui cupiditate inflammatus est, ut nihil
ardentius desideret, quam te videre, et tuis pasci
sermonibus. Nullus dubito, quin, ubi eum co-
gnoris, se tibi sit illico probaturus. Si tamen
et mei causa illum sis complexurus arctius, ma-
gna accessione tua in me merita cumulabis. Nos
hic sollicitos tenet Caesaris insula in ripa Rheni
sita, quae a nostris acriter oppugnatur, illius
praesidiariis acriter repugnantibus. Interea Rex
Burgundiae cum numerosissimo exercitu invasit
Clivensem agrum. Sed de his superi viderint.
Si quaeris quid rerum geram, ante quatriduum
jussu Ordinum parentavi Magno Gulielmo, in
cujus etiam Vita pertexenda pergo. Non pau-
cas horas impendo recensendis Gruteri Inscri-
ptionibus, quas in multis locis et correxi et auxi
cum ex aliis, tum ex Marquardii Gudii codice,
quem secum circumtulit in Italia et Gallia, et
cum lapidibus ipsis plurimas contulit; non pau-
cae quoque illustrantur. Si quid conferre di-
gnaberis ad id opus ornandum, non ingratos
tui beneficii praecones cognosces. Sequetur sta-
tim Gruterum tomus ineditarum. Julii Pollu-
cis Onomasticon editur in folio, ut loquuntur,
cum eruditissimorum virorum notis. Tu quid

moliaris si ex te certior factus fuero valde gaudebo. Vale, Vir praestantissime, et me ama.
127 Trajecti D. IX. Maii CIƆIƆCCII.

Viro Summo
Richárdo Bentleio,
Londinum.

Ep. XL.

128 EXCELLENTI VIRO JOH. GEORGIO GRAEVIO
R. BENTLEIUS SAL.

Cum memoria repeto, Vir amicissime, quantum jam temporis effluxit, ex quo literas de communibus studiis vel ad te misi vel ad ullos Eruditorum, quos mare a Britannia nostra separat; non possum non damnare fatum meum, et annorum duorum et amplius quasi jacturam plorare. Sic enim meae se res habuerunt, postquam ex jucundissimo otio protractus sum ad splendidam hanc sane et satis opulentam sortem, sed obsessam infinitis negotiis per caput et circa latera quotidie salientibus. Quod ergo interrogas, Quid moliar, quemve Authorem, Hesychium, Maniliumne, notis meis illustratum edere parem; scias me toto hoc biennio vix unum et alterum diem vacavisse humanioribus literis: tantum abest, ut dignum aliquid tuis oculis jam a me sit expectandum. Vide tamen,

quid consilii jam a mense fere ceperim, ne pla-
ne Literarum oblivio me caperet. Statui me- 129
cum, horis subsecivis et relaxandi animi causa
Poetas aliquot cum Latinos tum Graecos recen-
sere; quos typis donatos generosae Juventuti,
quae in Collegio meo Stae Trinitatis hic educa-
tur, dono dem. In his primus prodibit Ho-
ratius, cujus olim, cum juvenis essem, ulcero-
sa aliquot loca feliciter sanasse videor. Et spe-
ro equidem, pro amicitia nostra condonabis; si
speciminis gratia semel et iterum conjecturas
hic meas ponam, de quibus sententiam tuam,
ubi commodum erit, resciscere aveo; obsecro-
que ut eam libere et sine omni assentatione ve-
lis ostendere. Od. I. 23. Nam seu mobilibus
veris inhorruit Adventus foliis, seu virides ru-
bum Dimovere lacertae, Et corde et genibus
tremit. Non multis opus est, ad lectionem hanc,
etsi vulgo receptam, convellendam penitus. Nam
praeter insolentiam dictionis, *Adventus* veris
inhorruit foliis; id etiam incommodi est, quod
sub veris adventum nondum folia emittuntur
arboribus; et quod praecipuum, non vere tan-
tum (ut haec lectio postulat) sed et aestate non
minus et autumno foliorum strepitu terrentur
hinnulei. Nosti in vetusto codice (teste Mure-
to) scriptum esse *ad ventum*. Hoc recte; unde

adjutus sive ille sive Jos. Scaliger pro *Veris* substituebat *Vitis* inhorruit. Verum hoc etiam parum cedit feliciter; quia in *aviis montibus et sylvis* ubi vagantur hinnulei cum matribus, vites non seruntur. Ne te diutius detineam, lego absque ulla fere mutatione,

Nam seu mobilibus *vepris* inhorruit
Ad ventum foliis, seu virides rubum, etc.

et apposite vepris cum *rubo* jungitur: ita enim et Columella VII. 6. Nam nec rubos aversatur, nec vepribus offenditur. Ecce tibi et conjecturam alteram;

Od. I. 35. Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos —

ubi *τὸ Orbis* ne Latinum hic quidem, nedum Horatianum, existimo; et vere uti credo mihi persuadeo Poetam hic absolute posuisse Ultimos Britannos, sine otioso et inerti illo appendice. Sic enim et Horatio et aliis solenne est.

Od. I. 36. Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.
II. 18. Premant columnas ultima recisas
Africa
II. 20. Et ultimi Noscent Geloni.

Virgilius:

Tibi serviet ultima Thule.

et

Gemit ultima pulsu Thraca pedum.

et

Viresque Orientis et ultima secum Bactra vehit.

Catullus: 131

— — Quod comata Gallia
Habebat unctum, et ultima Britannia?

Quid plura? Vix possum dubitare, quin Horatius sic posuerit,

Serves iturum Caesarem in ultimos,
Oro, Britannos —

Nam Fortunam alloquitur et precatur, ut in ipsa Oda videre est. Sic alibi (ut hic, serves, oro)

Sat. II. 4. Sed des veniam bonus, oro.

Et Virgil:

Ipsa canas, oro.

et,

Solum Aeneas vocat; et vocet, oro.

Plura quidem volupe esset hisce attexere; sed et tempus et charta me memorem monent, ut Occupationibus tuis parcam; ne nimium diu te interpellando in publica Eruditi Orbis commoda offendam. Illud, ni grave est, scire cupio, quid tu de duobus his locis sentias: tum et an probetur tibi conjectura nostra, in loco ex Arte Poet.

Et male *ter natos* incudi reddere versus

132 quem olim proposui in Notis editis ad Callimachum. Judicio enim tuo et paucorum aliorum, qui a te secundi sunt, omnia tribuo; sed omnibus haec probatum iri nec spero equidem neque opto. Quin et siqua in scriniis habes (ut sane non potes non habere plurima) vel ex vestustis codicibus vel ex foecundo Ingenii fonte hausta, quibus emendatior haec prodeat editio; quae tua humanitas est, non invidebis ea nobis, gratissimis beneficii tui praeconibus futuris. Gratias vero, ut par est, habeo maximas: quod humanissimum Burmannum, qui has deferet, commendatum mihi voluisti. Is et Londini me et Cantabrigiae hic invisit; adjutusque est omni ope nostra, et sua causa, et praecipue tua, Vir magne, cujus amicitiae nihil possum negare. Habes etiam una cum his literis Inscriptiones aliquot et Icones Veterum Lapidum, ex oppido Landchaster prope Dunelmum, ubi Romanos olim Stativa, Praetorium, Basilicam et Balneas habuisse ipsae adhuc ruinae ostendunt. Eas tibi subministrat Vir eruditus et humanus, qui nunc Cantabrigiae est, nudiusque tertius me oravit, ut ad te mittendas curarem. Salutat te et Neocorus noster, qui in Suida nunc totus est, praeclarum mehercle et ingenii et industriae sui spe-

cimen editurus. Miraberis tot loca sanata, tot fragmenta suis sedibus et auctoribus reddita. 133
Id opus celeri passu progreditur; et ubi semel exierit, omnem omnium expectationem vincet. Quid agit Cicero tuus? Saepe mihi aurem vellit celeberrimus Praesul Norvicensis, de Codice suo, quem jam per Decennium opinor apud te detines. Tomus est Philosoph. in folio, ex Editione Rob. Stephani cum variis Lectionibus ex Codice Vetusto. Optimum esset, si velles tibi describere: et Codicem huc remittere; dolet enim tam bonum librum tum diu bibliothecae suae locupletissimae deesse. Sed vale tandem, Vir Excellentissime, et me, ut facis, amare perge.

Cantabrigiae, August 20, 1702.

Viro Excellenti
Johanni Georgio Graevio
Ultrajecti.

Ep. XLI.

VIRO MAGNO JOHANNI GEORGIO GRAEVIO 134
S. P. D.
RICHARDUS BENTLEIUS.

Non dubito, quin Literas Neocori et meas acceperis, quas a Cantabrigia huc Londinum ad optimum Burmannum misimus, ut Bataviam ad

te deferendas curaret. In illis consilium meum tibi aperui de edendo Horatio; petiique, ut siqua tibi esset copia sive veterum Lectionum seu novarum Conjecturarum, eas mihi impertire velles, quo editio fieret et melior et luculentior. Ab eo tempore nihil a te Literarum habui. Nuper autem Londinum evocatus ad Conventum Ecclesiasticum, ut primum Bibliopolia invisebam, in elegantissimi Brookhuyssii Propertium incidi; unde magno meo gaudio didici penes te esse veterrimum Venusini nostri Exemplar. Ego vero hic in Britannia aliquot nactus sum non contemnenda; unum praesertim ex Bibliotheca
135 Regia, quod ter quaterque veram lectionem exhibet in aliis quae vidi omnibus interpolatam. Facile tamen inter omnes Codices primas obtinet Antiquissimus Blandinius, olim Petro Nannio *) et postea Jacobo Cruquio perlectus, sed non satis intellectus. Utinam vero extaret adhuc iste codex; et quidem fortasse is ipse est, quem domi apud te habes: quod an verum sit facile rescire poteris ex Satyra VI. lib. I. ubi cum caeteri habeant,

Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, *fugio rabiosi tempora signi*,

*) Vide ejus Miscell. 3.

solus Blandinius a prima manu exhibet, — *fugio campum lusumque trigonem.* Quae verissima sane lectio est, ut in editione nostra palam fiet; vulgata autem et commentitia et absurda. Sed sive tuus ille codex idem est qui Blandinius, sive alius: obsecro te per amicitiam et studia haec communia, ut eum mihi commodatum huc mittas; quod et cito et tutissime fieri poterit, cum navigia nostra, quae Ducem Marlborough expectant, ad nos revertuntur. Scis multa in veteribus membranis a manu secunda esse, multa sub litura delitescere; ut plane multum intersit, an tuis oculis usurpes librum an alienis fidem habeas. Cito tibi salvus redibit, et una novus Horatius, haud paullo, nisi me om- 136
nia fallunt, nitidior et sanior. Vale.

Episcopus Norvicensis te salutat; qui te amat plurimum. Scire autem cupit, Catalogum MSS. Britannicorum Oxonii Edit. II. vol. Fol. quam dono tibi jampridem misit, acceperis necne.

Londini, e Bibliotheca Sti Jacobi
die Octob. 30. 1702 stil. vet.

Celeberrimo Viro
Johanni Georgio Graevio
Trajectum
Bataviae.

Ep. XLII.

137 VIRO SUMMO RICHARDO BENTLEIO

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

Quanta voluptate tuae desideratissimae litte-
rae, tanto rubore me perfudit mea cunctatio, cum
tam acceptae epistolae tam diu responsum de-
beo. Irascor mihi ipse et detestor hanc pro-
crastinationem. In posterum majore studio tibi
probabo meam in te colendo observantiam. Ho-
ratium tuum expecto avidissime. Nam ex istis
pulcherrimis speciminibus, quorum mihi copiam
fecisti, facile mihi licuit cognoscere, quanta bo-
narum rerum messis sit expectanda in tua edi-
tione. Dudum saepius harum rerum non im-
peritis laudavi non conjecturam, sed emenda-
tionem tuam certissimam in loco Horatii ex Ar-
te, quam prodidisti in Notis ad Callimachum.
Eam qui videt et non probat, is in his litteris
caecior est quavis talpa. Quid enim torno cum
incude? Non incertior est conjectura loci ex
138 lib. I. carm. 23. Rätiones, quibus adductus es
ad constituendum hunc locum, firmae sunt et
indubiae, quamvis adversentur editi et manu
exarati plerique omnes. In carm. 35. ejusdem
libri, meis quoque auribus magis blanditur *Ser-*

ves iturum Caesarem in ultimos, Oro, Britannos, quam quod libri prae se ferunt, *in ultimos Orbis Britannos*: hoc tamen forte posset ferri, ut illud Virg. *Extremique hominum Morini*. Nam potuisset quoque dicere *Extremique Morini*. In lib. I. Sat. 6. gaudeo te ex Blandinio revocasse scripturam elegantissimam pessime ab aliis interpolatam. Mitto tibi meum codicem, quem olim mihi paravi Coloniae Agrippinae in taberna, ubi veteres membranae vendebantur, ut Blandinius ille, quem quaeris, esse non possit. Habui editionem parvam Amsterodamensem, quam olim adolescens contuli cum codice satis antiquo, qui fuerat Cornelii Martini, celebris sui temporis Philosophi, tum vero eum possidebat Bernhardus Rottendorfius Medicus Monasteriensis cujus bibliotheca multis antiquis codicibus fuit instructa. Sed istam editionem frustra quaero, nec tamen eam periisse credo, sed alicubi in angulo remoto latere. Codicem meum praestantissimus Coolius, aut qui Imperatori vestro Mailborugio a secretis est, aut qui ejus sacra curabat, tibi tradendum curabit. *Γρύτην* 139
meam mihi et per valetudinem infirmiorem, qui ab aliquot hebdomadibus vertiginibus ante insolitis fui infestatus, et per luctum domesticum, qui ante paucos dies amisi consortem tori, cum

qua quadraginta quatuor annos vixi conjunctissime, amisi, non licuit excutere: quod tamen spero me propediem facturum, et si quid in observationibus meis invenero, quod dignum existimem tuis oculis, tecum communicabo, quanquam vix esse putem, quod tuam sollertiam et perspicuitatem effugerit. Excellentissimo Praesuli Norvicensi quaeso ut meam observantiam et officia deferas. Ejus tomum Philosophicorum Ciceronis cum MSS. collatum, quem mihi ante tot annos utendum perbenigne commisit, diligentissime servo. Eum tam diu servavi, quod semper manus huic parti Ciceronis admovere constitui, sed Vita et Res Gestae Guilielmi Regis me ab hac cura aliquamdiu averterunt. Nunc describendas varias mandavi juveni, ne longius justo retineatur hic liber. Proximo vere, ut salvus et incolumis Viro Summo reddatur mihi erit curae. Nam iste homo, cujus opera nunc utor in hoc libro excerpendo lentior est, et aliis etiam negotiis distrahitur. Alium vero invenire hic non potui. Quin si quid mihi humanitus acciderit, heredes tamen mei ut recte curetur ad vos Cicero providebo. In novissimis litteris meis meministi epistolae Neocori ad me scriptae, sed quam nullus vidi. Ejus Suidam belle procedere valde laetor. Amsterodami

multum etiam profligarunt in Polluce edendo, cum Kuhnii notis, cum quo communicavi varias lectiones, quas Salmasius ex Codice Palatino quantivis pretii collegerat, et animadversiones ac annotationes Henrici Vallesii, quas suo libro adscripserat, ut et Isaaci Vossii excerpta ex suo codice egregio, quibus accedunt notae uberiores Gothofredi Jungermanni in priores septem aut octo libros, qui et ipse novam hujus scriptoris editionem adornabat, in primis fere superioris seculi annis, sed acerbitas fati non sivit illam perficere. De lite Gronovii et Perizonii de morte Judae et voce ἀπάγχεσθαι nescio an aliquid audieris. Sed tanti non est momenti. Vale, Vir Summe, et me tui observantissimum amare perge. Trajecti D. XXIII. Novemb. CIϽIϽCCII.

Burmannus noster nondum ad nos rediit. Expectatur indies, et mihi ipse deferet eas, quas ubi accepero Viro illi erudito, ubi nomen ejus cognoro, gratias agam et publice et privatim. Interea quaeso ut mea vice fungaris apud eum, si quando videris. Salutem quoque dico Neocoro nostro optimo et doctissimo. Praestantissimum munus Praesulis Norvicensis catalogum 141
MSS. Britannicorum, me recte accepisse, sed nescivisse hujus doni auctorem ut ei significes

rogo, amantissimisque verbis meo nomine gratias agas. Nae vos obstrinxistis Vobis litteratum orbem mirum in modum, qui tantos thesauros, quibus pares vix reperiuntur usquam gentium, proposuistis. Me vero Vir Magnus tantopere devinxit, ut quas debeo gratias rependere non possim, ut tamen referam quas possum, dies noctesque sim cogitaturus. Iterum iterumque vale, meum et litterarum decus et praesidium.

Viro Summo Reverendo et Clarissimo
Richardo Bentleio, S. S. Theologiae Doctori,
Collegii S. S. Trinitatis, quod Cantabrigiae est,
Praesidi, bibliothecae Regiae, quae est Londini
ad S^{ti} Jacobi, Praefecto.

Londinum.

Ep. XLIII.

142 VIRO REVERENDO ET ERUDITISSIMO
RICHARDO BENTLEIO S. P. D.
PETRUS BURMANNUS.

Non satis fausto ad amicitiam tuam auspicio aditum mihi facere videor, cum primas quas ad te dare contingit, literas magnae acerbitatis nuncias mittere cogar: obiisse enim grande illud reipubl. litterariae lumen, Academiae nostrae decus, meum unicum praesidium Io.

Georg. Graevium ex his videbis. Proximo die
Jovis XI. Januar. aedibus egressus erat ut apud
me pranderet, sed in aedibus Cl. Pontani Theo-
logi, quas, in itinere transiens intraverat, su-
bito omnium membrorum stupore correptus, et
brevi amisso linguae et sensuum usu ad vespe-
ram exstinguitur. Vides, Vir Reverende, in-
signem jacturam, quam omnes, qui Graevium
coluerunt et amarunt, fecerunt irreparabilem.
Quis enim tam illustris viri personam sustine-
bit? Quis gloriam illam et famam, quam Aca-
demiae nostrae peperit, tuebitur? Video in 143
imbecillimos humeros gravissimum onus procu-
biturum, video me destitutum amicissimo ma-
gistro et ductore, qui me ut filium semper ama-
vit et fovit, qui me sibi senescenti vicarium ad-
scisci voluit. Vix a perturbatione quae me ad
subitum tantae calamitatis nuncium dejecit,
mens consistere potuit. Hoc ipso illaetabili of-
ficio dum fungor, annuntiandi tam amicissimi
viri mortem, recrudescit plaga, et omnis cogi-
tandi et scribendi copia et facultas adimitur.
Sedent in squalore et miseria filiae, quas reli-
quit. Et quia cum Parentis amicis, qui extra
Bataviam degunt, dolorem suum communicare
nequeunt, me, ut earum verbis id praestarem,
rogarunt, et ut benevolentiam et amorem, quo

patrem complexi fuerunt, si res ita ferat, erga
se continuare velint pro illis contenderem. In-
vitus ingratum illud officium suscepi, unde non
alium fructum sperare possum, nisi tam illustris
Viri amicis me eadem opera commendem, ip-
sisque, si quid in his regionibus curatum ve-
lint, fidem et industriam meam offeram. Tibi
praeter reliquos, Vir Reverende, cujus nomen
propter insignem eruditionem diu suspexi et ad-
miratus fui, innotescere jamdudum optavi, ita-
que nihil jucundius umquam mihi accidere po-
terit, quam si mutuo literarum commercio me
144 beare volueris. Orationis, quam nuper de fe-
licissima anni praeteriti militia habui, jam Brie-
lam ad Fratrem, qui ad te curabit, misi, quam
ut placida fronte accipias et legas, meque in
amicorum numerum adsciscas, oro. Vale et me
ama. Trajecti Batavorum a. d. XV. Januar.
CIƆIƆCCIII.

P. S. Si commodo tuo fieri possit, ut Cu-
sterum nostrum hoc tristi nuncio impertias, sum-
mo opere contendo.

A Monsieur
Monsieur Richard Bentley,
Docteur en Theologie, Bibliothécaire
de Sa Majesté à St Jacques
à
Londres.

Ep. XLIV.

REVERENDO ET DOCTISSIMO VIRO 145
RICHARDO BENTLEIO S. P. D.
PETRUS BURMANNUS

Si pudorem et verecundiam in consilium adhibuissem, abstinere certe ab his exarandis debuissem, quia forte non gratas fore ex silentio ad priores a me ad te datas, colligere potuissem, et satis ingens operae meae pretium existimare, si tacitus eruditionem et ingenium tuum mecum admirari et venerari pergerem, dum ea, quae cum orbe erudito communicata voluisti, summa cum voluptate evolvo. Sed ut flagrantissimi ardoris, quo ad amicitiam tuam ultro exposcendam et obtinendam feror, vim cognoscas, alterius repulsae periculum non formidavi subire. Ipse tamen non magnam admissionis fiduciam caperem, nisi spem meam accenderet omnis elegantiae semper habitus Arbiter, quem pro me deprecatorem ad Te allego, et qui, si modo non antiqui Catonis supercilium altius tollas, gratiam tuam mihi forte conciliabit. Du- 146
bitavi quidem an ad Virum severioribus et sacris studiis operantem tam levem vulgo habitum scriptorem mitterem, sed quia te non ex ista virorum nota esse perspexi, qui omnia hujus ge-

neris damnanda, et ab aspectu procul removenda censent, ausus fui oculis tuis, immo judicio et censurae tuae subjicere, quidquid mea opera in hunc Satyricum ornandum collatum est. Quod si plurima observes, ut certe erunt, quae calculum tuum mereri haud poterunt, studium tamen adjuvandi literas, quod summum prae me fero, laudabis, et impetum quem cepi a ludibrio et contumelia ipsas literas, et summos earum antistites, Graevium et Broukhusium vindicandi. Insultat tantorum virorum ossibus et cineribus ferocu lus quidam et jejunus Gallulus, qui nostratibus, quotidianis summorum virorum obtrectationibus, persuadere cupit se solum sapere, et viam, quae ad eruditionis fastigium ducit, a se uno monstrari posse, reliquos esse grammaticos, et ineptos et inelegantes ostentatores inanis doctrinae. Quos inficetos paedagogos, si impune ita grassari permitteremus, et adolescentes ad ignaviam et compendiarias vias pronissimos deduci pateremur, brevi de studiis conclamatum esset, et in exilium pulsae Musae solum
147 verterent. Sed confutandis his nebulonibus nihil accommodatius, quam dissimilia illorum compilatis et furto subreptis scriptis produci, quae doceant superesse adhuc antiquae disciplinae cultores, et qui, si non ad veterum Heroum

laudes adspirare possent, eandem tamen, quam
illi, viam insistant. Quare quid caussae quae-
so, Vir Reverende, est, quod tamdiu exspecta-
tum premere pergas Horatium, et nos ejus de-
siderio tabescere patiaris, cum ille, si exierit,
solus docere poterit, aliter catulos, aliter sues
olere; et nihil spissa illa Dacierii volumina Flac-
cum juvisse, sed potius insignia nobis argu-
menta ignaviae et deficientis eruditionis apud
Gallos praebere, qui sibi recoctos cibos, et prio-
ris seculi corruptas delicias, iterum apponi tam
patienter ferunt. Quae cum tu mecum agnos-
cas, nonne conspirare contra hos studiorum cor-
ruptores, omnes oportet, quibus illa, quae Pe-
tronius initio Satyrici sui graviter et vere seculo
suo in perniciem literarum labenti exprobravit,
probantur, et sociare manus, ne irruant in sa-
cra purissima profana illa compilatorum et Le-
xicorum exscriptorum vis. Ego certe pectus ob-
firmatum talibus opponere decrevi, et efficere,
si quid potero, ne Graevianae et Broukhusia-
nae umbrae injuriam patiantur, conabor; et
a corruptela illa communi, si non multos,
aliquos certe disciplinae meae creditos, immu- 148
nes servare studebo. Inter quos unum Ti-
bi de meliore nota commendatum volo, juve-
nem egregium Arnaldum Drakemborchium, Ti-

bi adhuc credo ignotum, cui Silium Italicum, notis ineditis Heinsianis illustrandum, quia ipse omnibus non sufficio, commisi, et qui ipse ex propria penu aliquid notarum adjicere vellet, si subsidia quaedam conquirere posset, optaret. Petiit is a me, ut quoniam manu exaratis codicibus deficitur, viderem, num ex Anglia aliquid auxilii posset adferri. Servari enim Oxonii in Collegio Reginensi Silianum codicem ex Catalogis MSS. Angliae numero 944 didicit, sed cum neque ille neque ego quenquam noverimus qui hanc operam nobis praestare posset, ad te decurrimus, et rogamus, ut vel prece vel pretio aliquem inducas, qui collationem ejus codicis cum editis instituere vellet. Agnosceres certe beneficium in non ingratum hominem collatum. Posses et forte in privatis bibliothecis, quae apud vos instructissimae sunt, aliquid huic instituto quod facere posset, deprehendere, sed vereor ne molestiam tibi aequo majorem imponerem. Ipse quoque nisi gravis esse vererer, pro me tuam operam exposcerem, si quid vel in tuis vel amicorum scriniis reperires, quo consilium meum, cujus in extrema praefatione me-
149 mini, Catalecta Veterum Poetarum locupletandi adjuvare posses. Ad Valerium quoque Flaccum, in quem notas Heinsii olim cum publico

communicavi, commentarium pleniorem paratum habeo, sed quem adhuc premo, quia tot loca insigniter depravata, et quorum medicina a solo bonae notae codice sperari potest, occurrunt, ut nisi illa nova luce perfundantur, nihil operae pretium me facere posse videam. Quare si quid a Te, aut amicis aliis subsidii sperari posset, sustinerem, et ad alia interim elaboranda me accingerem. Vocat certe me et invitat, quem a prima aetate dilexi Ovidius, in quem curas Heinsii secundas, prioribus duplo auctiores habeo, sed majoris otii, quam adhuc fruor, labor ille videtur. Si ea nobis felicitas obtingeret, quae vobis, quibus muuera luculentissima et tanquam haereditates sine sacris eveniunt, forte plura emoliremur. Sed retundunt omnes generosioris animi impetus catenati, velut in Ergastulo labores, et ita Academia totos sibi nos vindicat, ut vix Musaeo aliquid tribuere possimus. Vale Vir Reverende, et nos ama. Trajecti Batavor. a. d. XXIV Jul. CIↃIↃCCIX.

MISCELLANEOUS LETTERS.

153 LETTERS FROM THE REV. DR. BENTLEY TO THE REV. DR. BERNARD.

1. [Ep. XLV.]

REV.

This evening Mr. Joseph Hill was with me about Hesychius. I had seen a specimen long before, in which as I and others *think*, are *παῦρα μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.* I told him, I could not send my notes to the Dutch editors, being commanded to pursue a design in England, which I acquainted him with. That is, I will print Hesychius, Suidas, Etymologicon, all in one page, after the manner of Walton's Polyglott, in several divisions; so that the proper series of each alphabet shall be preserved, upon which the authority of each depends. Phavorinus, while he

mixed all together, spoiled them. Emendations
shall be made of them all, which will make
3 volumes in folio. And then Pollux, because 154
he cannot be reduced to an alphabet, with Ero-
tianus, Phrynichus, etc. and an Appendix ex
MSS. shall make a fourth. I find very great
encouragement for this design, and I desire to
hear your opinion of it. I have an epistolical
dissertation on John Malelas (for so he should
be called, not Malela) in Dr. Mill's hands —
I should be glad to have your censures upon
it before, it be printed off — the proofs will be
sent to me, which you would oblige me to read
before, and mark what you do not approve —
but I presume too much upon your friendship
to divert you from your better studies to these
trifles. Pray let me know if you can give me
any help in an edition of Philostratus, which
I shall send out this next year. The MSS. in
your libraries I know and will get compared —
I have met with a MSS. of Tzetzes called *Προο-
μηρικὰ, Ὁμηρικὰ, Μεθομηρικὰ* — This piece
out of it I have transcribed for you relating
to Chronology. I hope your good family is
well as I thank God all we are — Dear Sir I
am your most obliged and affectionate servant

R. Bentley.

155 2. [Ep. XLVI.]

CL. ET AM. VIRO BERNARDO R. BENTLEIUS.

Diu est, ut vides, quod ad te scripseram, hactenus tamen cessavi eas mittere, partim taedio horum studiorum, maxime autem quod meo uti consilio decreveram, neque quenquam amicorum his nugis immiscere. Nunc autem has illae comitantur ne me ulla ex parte officio deesse conqueraris. Ut respondeam ad novissimas tuas, Principio, Joco te illam sententiam protulisse puto de Themide et Phemonoe. Themin istam ipse in meis attigi, quae non foemina est, sed dea *Τιτανιὰ* Promethei mater. Nimium recedis a vulgata lectione Jo. Malelae, et toto quidem coelo a sententia. Quid multa? Audi Tzetzem in Prolegomenis ad Lycophronem: *Τραγωδοὶ δὲ ποιηταὶ, Αἰσχύλος, Σοφοκλῆς, Εὐριπίδης, Ἀρίων, Θέσπις, Φρύνιχος, Ἴων, Ἀχαιός.* Scis quam facilis erratio est in MSS. *ομ* et *σπ*, *Θέσμις* [vel *Θεόμις*] pro *Θέσπις*. Legis deinceps: *Πέπλους τε νίσαι, λινοπλυνεῖς τ' ἐπενδύτας.* Bis falleris — *νίζω* non habet futurum neque alia tempora quae inde formantur: sed mutuum sumit *νίψω*. Quod si haberet,
156 sine dubio primam syllabam corriperet. Dixi in epistola de *κτενίσαι* a *κτενίζω*. Hom. Il. *ω*.

Ὁπλίσαι ἠνώγει, πείρινθά τε δῆσαι ἐπ᾽ αὐτῆς. Itaque accedes ad emendationem meam *νῆσαι*, quod verbum bifariam accipi potest. 1. pro *ὑφαίνειν*. unde Homerus Od. *η*. *Ἔνθ᾽ ἐνὶ πέπλοι λεπτοί, ἐΰνητοι*: quos Sophocles *εὐυφεῖς* vocat in Trach. *φέρεις μοι τόνδε γ᾽ εὐυφῆ πέπλον.* Vel 2. *νῆσαι, σωρεῦσαι*, accumulare, condere, et reponere vestem, ut mos erat antiquorum. Hom. Od. *β*. *ὅθι νητὸς χρυσὸς καὶ χαλκὸς ἔκειτο, Ἐσθής τ᾽ ἐν χήλοισιν ἅλις τ᾽ εὐῶδες ἔλαιον.* et Il. *ζ*. *Αὐτὴ δ᾽ ἐς θάλαμον κατεβήσατο κηώεντα, Ἔνθ᾽ ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι.* et Il. *ω*. *Η καὶ φωριαμῶν ἐπιθήματα κάλ᾽ ἀνέωγεν, Ἔνθεν δώδεκα μὲν περικαλλέας ἔξελε πέπλους* etc. Porro emendas *Ἔργῳ 'νόμιζε νέβριδ᾽ ἔχειν ἐπενδύτην.* Idem profecto mihi in mentem venerat, merito vero repudiavi. Quis enim sensus et sententia? *ἔργῳ νόμιζε* frustra interpretaris *rebus gestis ostende.* Potius legas *ζάψ* et *χθὼν* vel *χθωμί*, quam mecum sentias. Cur istud obsecro? Nempe *ζάμψ* et *χθώ* non alibi leguntur. Legas illud fragmentum Porphyrii a me editum et sententiam mutabis. Ibi bis *χθώ* legitur in ipso MS^to^. Itaque certissimum est legendum esse *ζάμψ* nisi literam M desiderari velis. Imo vero *ζάμψ* et *ζάψ* promiscue et scribi et pronuntiari po-

tuerunt. Non *λήψεται* et *λήψονται* semper in MS[to]. Alexandrino et vetusto illo Cantabrigiensi
157 *λήμψεται* et *λήμψονται* exarantur? non *κάψα* et *κάμψα* apud Hesychium et Suidam? — Scio *ν* ante *β μ π* hodie efferri tanquam *μ*. *τὸν πίθον* tom pithon, *τὸν πόκον* tom pocon. Nulla tamen vox apud Graecos in *μ* literam exire potuit; ut tu scis ipse. Pergis Ionis elegos corrigere — *χρυσὸς Οἶνον ἔχων χῖον νιζέτω. εἰς ἔδαφος. νιζέτω* passive accipis pro *evacuetur*, *eluatur*, *abstergatur*. Sane si hujuscemodi emendationes tibi belle procedunt, Nil intra est oleam, nihil extra est in nuce duri. Ipse, si bene memini, sic legebam: *ὁ δ' ἕκαστος Οἶνον ἔχων χειροῖν ἰζέτω εἰς ἔδαφος*. Possim etiam propius accedere ad receptam Scripturam hoc modo: *ὁ δ' ἐρυθρὸν Οἶνον* etc. *οἶνος ἐρυθρὸς* familiare epitheton apud Homerum. *Αὐτὰρ ἐγὼ σῖτον καὶ ὕδωρ καὶ οἶνον ἐρυθρόν*. Libentissime etiam legeris *ἀνδρὶ φῶτι*, *ἀνδρὶ ἀπειρῳ*. Non me fugerat iste locus Homeri — Illam tamen correctionem merito contempsi prae mea altera: mirum enim quantum discrepant Ρρανὶ ἀπειρῳ et *αἰδρίων ἀναιρετικῷ*. Illa nihil concinnius neque propinquius dici potest. δrovoco ad aliorum judicia. Paucis, ais, placebunt *βέβαι* et *γέλγη*. Ego vero paucis le-

ctoribus, nedum approbatoribus contentus ero:
in quibus te, Vir praestantissime, magnopere
numerari velim. Me raris juvat auribus placere.
Videor mihi illud probe scire, *βαιὸς* esse vo-
cem poeticam, neque Hesychio in enarratione
usurpatam esse. Quid de *σῆστρα* et *σήγιστρα?* 158
An et ibi Palmerius palmam mihi praeripuit?
Tuum denique est illud *Ἀπῆξε πέμφιξιν ἰοῦς
πέλας πόρου.* Qualis, dii boni, versiculus! in
tertia sede trochaeus, in quarta spondaeus. Re-
stat unus et alter locus, de quibus, etiam si
charta non deficeret, melius esset tacere quam
dicere.

Raptim.

3. [Ep. XLVII.]

ERUDITISSIME ET AMICISSIME BERNARDE,

Quanquam in praesentia et parum bona sum valetudine, et alibi nimis occupatus: nolui tamen responsionem ad novissimas tuas literas in aliud tempus differre. Vides qua sim sententia de illa *ῥήσει* Sophoclea: tamen cum omnia ejus generis duntaxat conjecturis nitantur, haud moleste fero, si aliis aliud videtur. Ipse etiam non invitus abjiciam illud consilium, ubi erit commodum. Nunc quod urges de Justino et aliis: quoties iidem Gentilibus opponunt Ora-

159 cula Sibyllina et Hermem Trismegistum? et agnosco verum Hecataeum Abderitam Ezechiele esse vetustiorem, sed scire potuisses ex dissertatione librum istum de Judaeis ubi versus isti proferuntur pro commentitio haberi. Olim ita censuit Herennius Philo, et hodie magnus Scaliger. Dixi de πολλὸν. Πολλοὶ autem θνητοὶ ἱδρυσάμεσθα *nos multi mortales:* amabo quis ad hunc modum loquatur. Dabis mihi veniam si non possum in opinionem tuam concedere. Ἠρικεπαῖος ais, quasi ὁ ἦρα κέπων, i. e. ἀρεστὰ ποιῶν. Principio nihil agis nisi ηρι in vocis compositione eam significationem habeat. Atqui aliam habet toto coelo diversam, ἠριγένεια, ἠριπόλη, ἠριθαλὲς etc. nimirum eam quam dixi ἔαρι vel πρωΐ. Quandoquidem autem verbum κέπω hactenus inauditum est, occurris formando κέπω, κόπος ut πένω, πόνος. Ah! Amicorum carissime ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων? Si Grammaticos audis, κόπος a κόπτω. ita quidem τύπος a τύπτω. De κέπω nemo ne somniavit quidem. Imo vero quod pace eorum dictum sit, κόπος est radix sive thema, ut τόπος, ψόφος, δόλος, φόνος, δνόφος, κόρος, πόθος, μόγος, κλόνος, λόφος, θόλος, λόχος. et alia multa. Jam quod dicturus sum fortasse non animadvertisti, certe nemo alius

quod sciam. Syllaba ista κεπ omnino a linguae Graecae genio aliena est — addo et Latinae. — Σκεπ quidem admittunt, sed cedo mihi κεπ vel 160
in principio vel in medio vocabuli et viceris. Unica vox est κέπφος. Verum non kepfos pronuntiabant sed Keffos. Ita Σαπφὼ non efferimus Sapfo, sed Saffo. Jam in Latinis nulla syllaba est cep natura brevis — cepa et cepisti est κηπ. Auceps et princeps est κεψ. In casibus obliquis, principis, forcipis, quia forcepis et princepis linguae natura non ferebat. Certe quantivis pretii est haec observatio, et necessum est ut repudies sententiam tuam de κέπω. Quod ad Philostratum et Hesychium attinet, decrevi et stat sententia, ubi semel pertexui quod ad Malelam exorsus sum, humanioribus literis nuncium mittere. Saltem in aliquod tempus ex manibus deponam; et nescio an unquam postea potestas erit aut animus ea studia revisendi.

R. B.

Ubi Dodwelli tuamque sententiam audivero, erit quod de ἠρικεπαῖος tecum velim. — Illud de κεπ satis arguit aut ἠρικαπαῖαι scribendum esse, aut verbum esse barbarum.

4. [Ep. XLVIII.]

Mart. 5, 9 ♀.

161 CLARISSIMO ET AMICISSIMO VIRO ED. BERNARDO
R. BENTLEIUS.

Nunc eo tandem deventum est, ubi mihi consilio et auxilio tuo est opus. Si quidem omnia in Corollario diligenter retracto et corrigo. Proinde enixe te rogo ut pergas de me bene mereri, et indicare locos in epistola nostra, qui tibi de mendo vel comperti vel suspecti sunt. Simul etiam ut significes an bona tua venia liceat mihi hunc appendicem celeberrimo tuo nomine honestare.

Principio, de ἠρικεπαῖος admonebo κεπ syllabam alienam esse et a Graeco sermone, et a Latino: et propterea id verbum barbarum mihi videri. Tu certiorem me fac, an aliquid hic tuum interponi velis: De suspecto loco Sophoclis ex Hecataeo. Quid si in hunc modum pertexam quod exorsus sum. Vir Cl. Ed. Bernardus per literas me monuit, Non oportere temere doctrinam et judicium Josephi, Clementis, et aliorum in dubium adducere. Nam in illis versibus

Θνητοὶ δὲ πολλὸν καρδίᾳ πλανώμενοι 162
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν
Θεῶν ἀγάλματ᾽ ἐκ λίθων καὶ χαλκέων
Καὶ χρυσοτεύκτων ἢ ᾿λεφαντίνων τύπους.

Ex aliis editionibus substitui posse *πολλοὶ καρδίᾳ* vel uno verbo *πουλυκερδίᾳ* et ex conjectura *χαλκίων* a' *χάλκιον*. Equidem tam acri et subacto judicio plurimum attribuo: neque meum hoc unquam affirmabo esse verius quam illius. Pauca tamen in contrariam partem hic dicam, non certandi studio — *οὐχ οὕτω μαίνομαι*, sed ut secundam responsionem eliciam qua Vir Cl. extra omnem controversiam causam hanc statuat. Itaque *θνητοὶ πολλοὶ ἱδρυσάμεσθα* *nos multi mortales* vix satis ornate dici videatur pro Attica elegantia Sophoclis. Quod si *πουλυκερδίᾳ* reponas primo *πουλυ* in tragoediae diverbiis locum non habet, nam est *ἰακὸν*. Deinde *πουλυκερδείᾳ* dicitur non *ίᾳ* — quo pacto spondaeus erit in sede quarta qui ferri non potest. Denique alienissimum est a sententia, nam quid est *prudentia* sive *astutia errantes*. Homer. *ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἣν ἄλοχον πολυκερδείῃσιν ἄνωγε.* Nihil autem magis in Deorum contumeliam dici potuit, quam eos *ἐκ χαλκίων aeneis numulis* sive contusis lebetibus et aliis aera-

163 mentis conflari: neque verum hoc erat, nec in scena impune Sophocli futurum. Quaedam editiones sic exhibent: *ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων* cui lectioni favet Clemens in Paedagogo, *λιθίνοις καὶ ξυλίνοις καὶ ἐλεφαντίνοις ἀγαλματίοις καὶ γραφαῖς προςανέχοντες*. Sed sane laterem lavamus. Neque enim tam humilia et pedestria verba Sophocleo cothurno sunt digna, neque pura et Attica oratio est *καρδίᾳ πλανώμενοι*. Certe homo Judaeus se prodit suo indicio tanquam sorex. Nimirum ea phrasis est Hebraica Psalm. 94. (et ep. ad Hebr.) *Ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ, καὶ αὐτοὶ οὐκ ἔγνωσαν τὰς ὁδούς μου*. Esaiae 4. *ἡ καρδία μου ἀεὶ πλανᾶται*. Cedo mihi gentiles qui ita loquuntur. Ipsa quoque sententia ex SS. tralata est. *Revera unicus est deus, creator totius mundi: nos vero καρδίᾳ πλανώμενοι statuas et idola Deorum constituimus*. Deut. 30. Si adversum fuerit cor tuum (*ἡ καρδία σου*) et audire nolueris, et (*πλανηθεὶς*) errore deceptus adoraveris deos alienos. Imo enimvero nego illa *ἢ χρυσοτεύκτων ἢ ʼλεφαντίνων τύπους* Sermonem esse bene Graecum. Graeci dicerent *τύπους χρυσοτεύκτους θεῶν* non — *των*. Sic *εἰκόνας χαλκᾶς ὀλυμπιονικῶν* non *χαλκῶν*. Artemidorus *χάλκεαι γὰρ εἰκόνες τῶν ἐλευθέρων ἀνατίθενται*. Epig.

Εἰκόνι μαρμαρέῃ στήσαμεν ἀνθύπατον, non —*ρεον.* Ita passim et vulgo ut putidum sit plura testimonia afferre. Neque aliter Latini: Lucretius. Si non aurea sunt juvenum simulachra — non aureorum. Plin. 34, 7. Lignea 164
potius aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata. Juvenalis, Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci — non aurei. Horat. Lanea, et effigies erat altera caerea. Idem. Quid referam quo pacto in imagine cerea Largior arserit ignis. et An quae movere cereas imagines. Itaque ista Judaica est potius quam Graeca locutio. Oracula Sibyllina, lib. 3. *καὶ ξυλίνων λιθίνων τε θεῶν εἴδωλα καμόντων*, pro *ξύλινα.* Quis neget in eodem ludo edoctos fuisse hunc Oraculorum fictorem, et commentitium istum Hecataeum? Si enim vicero de versibus male Sophocli attributis; etiam illud evidentissime constabit, quod olim Philo Herennius et nuper Jo. Scaliger suspicati sunt Librum illum de Judaeis Hecataeo inscriptum, ab ipsis Judaeis Hellenistis fuisse confictum.

P. *Λυδίζων* etc. Verba cl. B. *Hesychius sic restituendus: Λυδιάζων ὁ χορεύων κατὰ τοὺς Λυδοὺς, οἱ συνουσιάζουσι μὲν, διεσκευασμένοι δ' εἰσίν. nosti paroemiam de mollissima gente.* Ut nihil aliud dicam, *Λυδιάζων*

vox nihili est, etsi eam repraesentent Suidas et Photius. In hujuscemodi verbis *αζειν* dicitur quando *ι* vel *υ* praecedit terminationem nominativi pluralis ejus nominis unde istud declinatur ut *κορίνθιοι κορινθιάζειν, ἴσθμιοι ἰσθμιάζειν, χῖοι χιάζειν, σίφνιοι σιφνιάζειν, λέσβιοι, λεσβιάζειν, αἰγύπτιοι, αἰγυπτιάζειν,*
165 *πάριοι ἀναπαριάζειν*, alias *ιζειν. λάκωνες, λακωνίζειν. κίλικες, ἐγκιλικίζειν. κρῆτες, κρητίζειν. μῆδοι, μηδίζειν. σκύθαι, σκυθίζειν. φρύγες, φρυγίζειν, φρυγιστὶ.* — *Λυδοὶ**) (Lydi inquam non Lydii) *λυδίζειν* et *λυδιστὶ*, non *λυδιάζειν* neque *λυδιαστὶ*. Haec quidem certissima. De mea emendatione videbunt eruditi. Ego nullum verbum facio.

P. 33. Cl. B. sic legit. *καθωσίωσε, κατέλευσε, κατέθυσε.* Accederem si scirem quo auctore dixerit *καθοσιοῦν* esse lapidibus aliquem appetere.

P. 33. Verba Cl. B. *Suidas te jubet utraque vocabula retinere* *εὐηρότατον* et *εὐήροτον*. *Hesychius tamen nomini comparato duo signi-*

---

*) *Λύδιος* quidem legitur, verum haud *ἐθνικὸν* est sed *κτητικόν*. Atqui non dicitur a *Μηδικὸς*, *μηδικίζειν*, neque a *κιλίκιος κιλικιάζειν* aut *φρύγιος φρυγιάζειν*, neque a *Λύδιος Λυδιάζειν*.

ficata plane diversa adscripsit ab aere et ab aratro; cujus obsecro injuria? Suidas sic: *Εὐηρότατον τὸ καλὴν ἔχον γῆν, τὸ κάλλιστον τῆς γῆς. Εὐήροτον τὸ καλῶς ἠροτριωμένον.* Quae verba satis ostendunt et mendi vetustatem et emendationis meae praestantiam — nam nisi ego desipio, sic in comparatione formandum est. *Εὐήροτος, εὐηροτώτερος, εὐηροτώτατος,* non *εὐηροτό-τατος.* Quod si reponas apud Suidam *εὐηροτώτατον,* jam secundum seriem literarum post *εὐήροτον* veniret. Ergo quocunque te vertas hallucinatio Suidae est, qui sine dubio sua male confinxit ex Hesychianis, vel illis unde 166
sua hausit Hesychius.

P. 53. Verba Hesychii: *Ἀντιδι. ἀντινιενέγμεθα.* Legit cl. B. *Ἀντίδ' ἐνεγκόμεθα, ἐναντιούμεθα.* Sed hac ratione literarum ordo nimium quantum perturbatur, ut alia taceam. Liquido dejerare possis Hesych. scripsisse *ἀντινι,* et illud *ἀντιδι* ex correctore esse. Sed emendator iste, quicumque fuit, *κακῷ κακὸν ἰάσατο.* — Scriptura a prima manu fuit in hunc modum. *Ἀντιηνέγμεθα ἠναντιώμεθα.* Hesychius, qui ut videtur, non leviter tum lippiebat, sic legit et descripsit: *ἀντινινέγμεθα. νι* et *η* nê apice quidem differunt. Nihil hac

conjectura certius. Ἀντιηνέγμεθα ab ἀντιφέρομαι — ἠναντιώμεθα verbum Ionicum. Idem Hesych. ἀντιφέρεται, ἐναντιοῦται, et ἀντιφέρεσθαι, ἐναντιοῦσθαι. Suidas Ἀντιφέρονται, ἐναντιοῦνται, sed ἀντιδιαφέρομαι nusquam lego.

P. 56. Verba Cl. Bern. „Ἀχινάων, ἀχινάδων accidit a diversa lectione codicis Homerici, aut ab insularum ipsarum nomenclatura tam exiguo differenti.“ Sed amabo quis eam variam appellationem memoriae prodidit, atque adeo quis eum locum Hesychii de Echinadibus interpretatus est, antequam haec mea Epistola in lucem ederetur?

Atque haec quidem his vel similibus verbis commode edi possint. Tu etiam atque etiam
167 considera an praestabilius sit haec in publicum prodire, quam Vulcano tradi — Ego quidem nihil antiquius habeo quam te colere et observare, itaque fiet quod jusseris: sive quod opto, plura adnotata his addere velis, sive haec ipsa celari aut concerpi.

Quaeso mihi memora editiones et paginas Theodoreti et aliorum qui de Jubale illud commemoraunt. Frustra enim quaero.

De Tarentina cupresso vide quam inique mecum agas. Verba mea, si bene memini, sic habent, *Si vellem hariolari conjectura*, et, *joco potius et dicis causa hoc dictum existima, quam quod in ea sim sententia.* Tu tamen exorere qui semel atque iterum mihi istud exprobres, tanquam si serio dixissem. Nihil tamen affers interea, quo minus etiam ridens verum dixerim.

Quod ad Aenariam attinet; nega si potes Plinium vertisse eum locum Theophrasti, aut Solinum ex Plinio sua expressisse. Cur non ad ista respondisti? Quod si feceris, paratus sum sententiam mutare. Sin vero, *ὃ γέγραφα, γέγραφα.*

De *κάπος* ingenue fateor te omnes meas rationes perturbasse. Si enim *κάπος* est *κάψα* (atque utinam extaret exemplum) nullam interpretationem tuae isti praetulerim. Hesychius: *Θήκια, καψία* et *κάμψα Θηκίον.* Et Suidas, *Κάψα, Θήκη.* Achmet autem in Oneirocriti- 168
cis, p. 174. folliculum illum palmae vocat *Θήκην. Ἔλαβεν*, ait, *ἐκ τῆς θήκης τοῦ σπόρου τῶν φοινίκων.* Non tamen repudio emendationem illam Dioscoridis et castigationem Plinii, quanquam vulgatam lectionem in Diosc.

confirmari videam ab Oribasio Latino. Omnino majore vi opus est, ut de ea sententia dejiciar. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.* Noli committere ut sine literis tuis huc veniat a vobis Tabellarius. Intra mensem opinor, licebit te convenire Oxonii et colloqui. Recto tamen itinere ad Vigorniam pergimus, dolituri quod non detur diutius frui jucundissima tua consuetudine. Curà valetudinem tuam, et nos ama.

5. [Ep. IL.]

ERUDITISSIME ET AMICISSIME BERNARDE,

Heri a te literas accepi longe gratissimas,
in quibus agnosco amorem erga me tuum, ita
tamen ut quaedam magis joco quam certo ju-
dicio dicta videantur. Non enim ausim me
talem polliceri qualem tu praedicas. Sat ha-
beo, si amicis tibique inprimis non displicuerint
169 labores seu potius lusus mei. In quibus illud
moleste aliquantum ferre videris quod versus
aliquot a Sophocle abjudicem: et mutatione
non incommoda *πολλοὶ* pro *πολλὸν* et *χαλκίων*
pro *χαλκέων* sartos et tectos conservari posse
existimas. Tu quidem ingeniose, ut soles. Sed
illud vide, an *Θνητοὶ πολλοὶ πλανώμεθα* satis
sane dici possit. An *Θνητοὶ πολλοὶ*, ut Sal-

lustianum illud, de quo Gellius, Multi mortales? Haud vidi magis. Si bene Sophoclem novi non ita dixisset. Tum vero *χαλκίων*, aut de aereis numismatibus aut de ahenis vasis et aeramentis intelligas necesse est. At neque hoc neque illud belle conveniet sententiae. Equidem ad opinionem meam confirmandam plana dicere potueram, nisi veritus essem lectoribus fastidio esse. Omnino Ezechielis Judaei Tragici sunt isti versus, potius quam Sophoclis. Quod ad Etymologiam Ericepaei attinet, quanquam qui eam viam affectant, plerumque risum aut bilem movent, nisi sint acerrimo et sincerissimo judicio: Vide tamen quid tuo rogatu feci praeter morem et consuetudinem meam. *Ἠρικεπαῖον*, *Πρωτόγονον*, *Μῆτιν*, *Φάνητα* unius et ejusdem Dei nomina esse notius esse, quam ut in ea probatione moremur. Gregorio autem Naz. et Nonno ejus enarratori, et Suidae in locis binis *Ἠρικαπαῖος* scribitur per literam A. Itaque, quemadmodum *Πρωτόγονος* vocatur, 170
quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata: et *φάνης*, quod cum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit, et extiterit, quae Lactantii sunt verba: iisque convenienter dicit ipse Orpheus: — *Ὃν ῥα Φάνητα Ὁπλότεροι καλέουσι βροτοὶ, πρῶτος γὰρ*

ἐφάνθη: similiter Ἠρικαπαῖος (sic enim lego) eo nomine videtur appellari, quod ab ipsa rerum origine primus fuerit natus. Nam ἦρι in compositione notat et veris principium et diei: ut ἠριγέρων, ἠριθαλὲς, ἠριπόλη, aurora sive dies apud Suidam. Quid autem de καπαιος fiet? Ecce tibi familiaris meus Hesychius, qui rem explicat commodissime. Κάπος, inquit, est ψυχὴ, πνεῦμα, καὶ ὁ τοῦ φοίνικος φλοιὸς, καὶ ἡ πρώτη ἔκφυσις. Quid amplius tergiversamur? Sine omni dubitatione. Ἠρικαπαῖος est ὁ ἐν ἀρχῇ τοῦ παντὸς χρόνου πρῶτος ἐκπεφυκώς. Plautum tuum expecto, simul ac occasionem nactus fueris mittendi literas. Vale, et tuum ama

Rich. Bentleium.

Doctissimum et integerrimum Dodwellum meo nomine saluta: cujus judicium de his libris libenter scire velim.

6. [Ep. L.]

May the 28th.

Rev.

171 I am very glad of the news of your Manilius, and expect it with impatience. At last here is come to town the *Paradise Terrestre*

of Mr. Huet. If you would have it, I can buy
it for you, and send you it by Mr. Hody the
next week. The Schoolmaster of Hackney is
unknown to me, if you please to write to him
directly, and appoint him to deliver or send
them to me, they shall be conveyed to you, as
soon as you will. *Le Crose*, or his continua-
tor, have translated a passage out of the Ou-
vrages des Scavans relating to my fragments of
the Greek poetry. But the whole is but an ex-
cerptum out of my Epistle to Dr. Mill; where
I say that I had formerly such a design, but
it must now ly by the walls. After Philostra-
tus and Manilius, I shall consider of your ad-
vice about the *στρωματεύς*. I cannot think
that I should do well to balk the proofs of a
Deity to attack either Theists or Jews. The
Jews do us little hurt; and perhaps to bring
their objections into the pulpit, and the vul- 172
gar language, out of their present obscurity,
would not do well: and few would care to
hear or read such discourses. Of all the parts
of my task, that shall be the last that I will
meddle with. And then for Theists you say,
they have books written, but Atheists have
only talk. Must we then pass by the Atheists?
against the judgment and command of my Hon[ble].

Benefactor, who hath put them in the very first place as the most dangerous enemies. Atheism is so much the worse that it is not buried in books, but is gotten *εἰς τὸν βίον;* that taverns and caffeehouses, nay Westminster-hall and the very churches are full of it. A sermon therefore must be contra malos mores, not malos libros. But are the Atheists of your mind, that they have no books written for them? Not one of them but believes Tom Hobbes to be a rank one; and that his corporeal God is a mere sham to get his book printed. They understand the Cabbala well enough: that all that is but juggle; and that a corporeal infinite God is downright nonsense. I have said something to this in my first sermon, and I know it to be true by the conversation I have had with them. There may be some Spinosists, or immaterial Fatalists, beyond
175 seas; but not one English Infidel in a hundred is any other than a Hobbist; which I know to be rank Atheism in the private study and select conversation of those men; whatever it appear to be abroad. I am told by my patrons, that hereafter all my discourses may be reprinted in 8 vo. if this be, I must add a preface, etc.: and should be glad in the

mean time to have your remarks upon each, of any mistakes I may have made, or any things obscurely, or imperfectly handled. In your last you seem to hint, that the astrological notion of our origin is a fancy of my own, and that nobody ever believed it. But 'tis your happiness, that you have not known by conversation what monsters of men have been of late days. You know the ground of the old ones, that derived us out of the soil from mechanism or chance, was that equivocal generation of frogs and insects, and plants *sine semine*: to that they said when the earth was fresh and vigorous that more perfect animals where produced out of her. Now, therefore, because the generations of plants and insects are reduced to the starry influences, they carry in consequence the production of ourselves to the same cause. Besides Cardan, Caesalpinus and Berigardus, etc. do in express words ascribe it to planetary influences: and 'tis now the reigning opinion of the most learned living 174
Atheists among us; and therefore ought not to be past by. You say, *our fabrick being a portion of the world must have a like origin, and not descend from the stars, even in the opinion of God 's enemies.* This arrangement is true;

if the dispute was about the materia of human bodies. But now that we talk of the forma of it; it proves as well that the half pound of butter and pudding that we had at dinner, because they are portions of the world, were made at the same time with it. The γένεσις of animals was posterior to that of the stars in opinions of all mankind; I do not mean the substance of animals, but their forms and textures that denominate them what they are: But too much of our little concerns: We impatiently expect an account of affairs out of Flanders. All put up their vota for the success of the expected battle; which in all likelyhood will determine the fate of France.

I am your most obliged and affectionate
Friend and Servant,

R. Bentley.

To

The Rev. Dr. Bernard
in Holywell in
Oxon.

7. [Ep. LI.]

Tuesday Night.

Reverend,

I hop you received a satisfactory account of 175
your affairs on Sunday night, which I shall
not here need to repeat. I heartily wish that
you may come to an agreement with Mr. Voss.
Beverland is 7 miles out of town, but I saw
a letter of his in a friend's hand, mentioning
how the Duke of Wolfenbuttel, whose father's
famous library is so celebrated by Conringius,
employs some Dutchman to bid money for the
library. Credat Judaeus Apella. I hear that
several of Dr. Voss Manuscr. are lent beyond
seas to several learned men: if it be true (as
it is very likely) you ought to enquire for the
catalogue of them, and buy the right of reco-
vering them. I cannot now so suddenly learn
the author of your report of a transcript of
the Etymol. Neither will it be tanti if the ori-
ginal be so legible as you said. Only that
the University may suffer damage by an impres-
sion of the book out of such a concealed tran-
script; which may be prevented in the bargain 176
with Mr. Voss. But in publica commoda pec-
ces if you should break with Voss — upon

these considerations; they may serve to beat down the price. My Lord is in tolerably good health, and presents his service to you with his blessing. I acquainted him with your last paragraph, and he promises to do all he can for your service.

Pray let me hear how you succeed at Windsor, and please to transcribe some of Plutarch's Proverbs, tho without the explication. You 'l pardon this curiosity.

(No name subscribed.)

8. [Ep. LII.]

Feb. XI.

Rev.

I am afraid my last never came to your hands: which gave you an account how I had paid 20*s*. to your niece, and begged of you the loan of the Codex Pithoeanus Manilii. Sir Ed.
177 Sherburn was so kind as to lend me all he had amassed together, towards an edition of that author; amongst which I found Collations ex codice Pithoei upon the first book, which he told me he was obliged to yourself for. 'Twas a printed edition (he thinks Scaliger's in 4to.) with those variations in it, manu Pithoei. I beg of you to supply me with it now,

tho I had it not at first, whether by being misplaced or forgot. I have now in my hands a noble fragment of Eusebius about Daniel's weeks, Gr. ex Bibliotheca Viennensi. It is about 12 pages 4to. of my writing, and in it there is a passage of 2 sides *αὐτολεξεὶ ἐκ πέμπτου τῶν χρονογραφιῶν τοῦ ἀφρικανοῦ*, upon the same subject. I know you are curious about this argument: if you have never seen it (not being yet printed) and have any mind to it, I will take care to send it to you speedily, being very glad of any opportunity of shewing how much I am your obliged and affectionate Friend,

R. B.

9. [Ep. LIII.]

Rev.

I can give no news about M. V. who hath 178
not seen me nor any of my acquaintance this fortnight. I believe he sits in some corner

> Ipse secum cor edens, hominum vestigia vitans.

If I be not mistaken there is no fear of any body of our own nation opposing us in this bargain. But however methinks you should

have hindred the University falling so in their price, for I suppose you and I are of the same mind, to get the books as cheap as possibly we can, but rather than lose them, even to overbuy them, for the reasons you and I have discoursed of, which I here keep as the greatest secret; as I beg of you to let no person who was not then present know what commission I have; for if that should reach Vossius's ear, there 'l be no bidding les than my highest. I am informed that Mr. Benot, the D. of Brandenburg's Envoy, is treating with Vossius, and has desired a catalogue and a price
179 to be sent to the University of Leyden. You know they are but poor, and bid nothing for Golius's MSS. that are yet unsold, even at their own home. Nay all Holland is in such circumstances that a person I know got but 100l. this last year out of an estate of 400l. per annum. Add that this will be some months a doing, if they should negotiate about it, so that I have no fearfull apprehensions from Leyden.

Yours,

R. Bentley.

10. [Ep. LIV.]

Saturday Night.

Reverend,

Yours much affected me with the surprizing news of Dr. Slade's sudden death; tho not immature. But your other ill news is of a nearer relation, if we must always want that pleasure, which I so much expected, of seeing Dr. Vossius's library in the Bodley. Nay I made myself sure of it, when discoursing with Dr. Godolphin concerning it soon after my arrival, he told me that to his certain knowledge 180 Matt. Voss would be glad of 2500 for it. And really I take this answer of Mr. Voss for a Dutch trick to raise the price of it; for what advantage could he expect if he had them in his own country where all things look as frowningly and inauspiciously upon letters as with us; and how is it likely he 'l run the hazard of removing them; when we weekly hear of such losses by the French privateers. Beverland, who (I hear) has written lately to you, was inquiring of a friend of mine how to find our lodgings. He says the books cannot be disposed of without his consent, being executor, and that Oxon shall have them 500

cheaper than any booksellers. When I see him, I shall understand more. I wish the 3 Deans have managed this affair well, seeing you say nothing of it. I appointed a meeting with Mr. Tooker — him who has your book *De Ponderibus*, etc. who informs me that he has sollicited all the considerable booksellers to take them by whole sail, but in vain: and to place them here and there by dozens and half dozens upon trial is not for your honour, and will damp the book, as he knows by many years observation. Nay he despairs of selling them in this isleland, for at an
181 auction in Cambridg he put 2 in the catalogue, and bought them again for himself 1s 2d a piece. At such a low ebb is true learning among us. The only way is this: there is a young man late apprentice of I. Smith, books. that designs for Holland and France the next March. If he goe; I hope to persuade Mr. Tooker to agree with you for them all, and adventure them with this young fellow for foreign books: and till then I ordered him to keep them: unless I hear otherwise from you: Mr. Wooton tells me he has disposed of all the Tabulae, and Mr. Mortlock says the same, and you will have your money by Dr. Mills or me: but they give no good account of the other little

book. There are so many of the same arguments, and so indevote an age. But you must have a little patience. My Lord and Mrs. Still and Mr. Still present their services to you.

Yours,

R. Bentley.

11. [Ep. LV.]

Jan. 26, $\frac{91}{2}$.

My dear friend,

I paid one pound to Mrs. Reims according 182
to your order. I cannot express my thankfulness to you, that you will so much engage yourself for me, as to ask that favour of Mr. Spanheim. I could have wisht you would have made use of Gronovius, who is used to such things; and the other, they say, is a very high and proud sort of a blade. But you know best whom you have the most interest with. I will draw up the passages as soon as I can, and send them to you. I told you that Sir Ed. Sherburn had lent me the whole apparatus of Gas. Gevartius: which I will look all over. I expect not much upon the author himself. All the drift I perceive is for his VINDICIAE MANILIANAE to prove the author of our poem to be Theodorus Manlius, Consul. A. C. 399.

Among Sir Edward's own papers I find the
Collationes ex MSS. Cod. Pithoei upon the first
book: this he tells me he borrowed of you,
being Scaliger's edition with those variations in
183 the margin. I was very glad to hear this, assu-
ring myself that altho you did not send it me
before, either that you had forgot it, or being
displaced could not readily find it, yet you
would not let me long want any help that you
could assist me with. I find by what Sir Ed-
ward hath transcribed of it was no very old
book, being of the last rate of books, equal to
the codex Palatinus, that of C. C. C. and your
own in 4to. and those from whence the edi-
tions were printed: the second rate is an Ita-
lian MS. whose variations are written by Is. Vos-
sius in the Bononian edition: this I call a young
Gemblacensis: being between the recentest and
it: it confirms the Gembl. in hundreds of pla-
ces, for which before we had but one witness.
The 1st rate are Vossius's own Mt now at Ley-
den and the most soveraign copy of Gemblau.
But however, though I do not expect much
from the Pithoean Mt: yet I would by no
means miss the occasion of both approving my
diligence to the world and of publickly ack-
nowledging my very great obligations to yourself:

and therefore I entreat you to search every corner of your library till you can procure this book for,

Dear Sir, your ever obliged and affectionate,

R. Bentley.

LETTERS FROM THE REVEREND Dr. BERNARD TO THE REVEREND Dr. BENTLEY. 184

1. [Ep. LVI.]

E. BERNARDUS R. BENTLEIO.

De Philostratis Sophistis ego quidem *οὐδ' ἔγνω*. Profecto in Tyanensis nebulonis vita verum a fabula discernere haud facillimum. Imo vero in paedagogo Hagiensi, praeter diligentiam caetera omnia desidero ut Hesychius recte prodeat. Dein Lexicographorum Graecorum *trigam* amabo propter tuas notas et Etymologi Vossiani suppetias, non quod illos posse commode jungi existimem. Epistolam autem tuam, qua Malelam scriptorem ineptissimum corrigis, nondum vidi. Faciam tamen quod jubes, ubi ea ad typos Sheldonii venerit. Salutabis meo nomine et familiam vestram, et praecipue Ecclesiae nostrae decus ac defensorem praecipuum. Mediocriter equidem nos valemus, ut bruma so- 185

lemus regente. Nostri obsecro, memores estote, apud Deum dum annus exit.

Oxoniae, Dec. d. 20, 1690.

Chronica sane mihi grata ac utilia esse crede. Ne igitur qui me ames, unquam abstineas manum, dum thesauros Atticos excutis, quin de iis moneas. Maximum enim laboris gloriaeque nostrae in talibus pono. Unde vis humanae sapientiae et providi Dei gratia amplissime darent. — Quin Timaei è duobus Siculis, non Diodori numeros refert Fragmentum illud Johannis Tzetzis quo me donasti, inter Vastitatem Ilii et Olympiadas. Cum Thracibus ut Tzetzis verba indicant, et cum Bithynis communia mensium nomina noverant Delphi. Vale.

2. [Ep. LVII.]

R. BENTLEIO V. CL. E. B. S.

Dum forte Epistolam ad Millium nostram aut potius librum illum tuum absolvis, aut alia ipse facis, taces de meis, aut differs in tempus
186 vacuum. Ego interim qui mea omnia infra publicum commodum considere cupio tua adhuc perlustrare pergo, dum a Sheldonio sudant. Quapropter p. 45. malo legi cum Cedreno et Excerptis Latinis Scaligeri *κεντιαώνιος ὁ καὶ φαραὼ*, quam velut inter lepida Male-

lae proferre tam antiqui avi Regem Comicum. Pagina eadem e misero Johannem miserrima traduxit Scholiastes ille Stanleii aut Bullengeri. *Themis* enim et *Minos* tanquam Tragoediae inventores, cogente Malela, inducuntur, pro bonis foeminabus *Themide* et *Phemonoë*, quibus Carmen Epicum scriptoris eruditi quam vetusti imprimis tribuunt. *Αὐλέας* autem nomen tertium Malelae esto frugentis, qui et eundem illum in auctoribus suis sapientissimis allegat. Pag. 46. Citatur Septimus Pollucis hisce verbis. *τί ὄνομα ἐπενδύτης* etc. De quo versu, ais, cum nihil in praesentia succurrat, quod mihi satisfaciat; ejus emendationem in aliud tempus differam. Sophocleum illum sine morâ expediam: *Πέπλους τε νῆσαι λινοπλυνεῖς γ' ἐπενδύτας:* de quo (emendato) ausim tibi asseverare. Vide jam vir clarissime quam levi manu utrique versus restituuntur. Sophocleum quidem dialysi sola *πέπλους τε νίσαι λινοπλυνεῖς τ' ἐπενδύτας*: voce vero corrigitur Thespiacum: *Ἔργῳ νόμιζε νεβρίδ' ἔχειν ἐπενδύτην.* Tu Bacchi gestamen gerere ipse gestis
rebus ostende. Attamen de verbo Homerico 187
νίζω eluo *ἀποπλύνω*, nulla dubitatio est, quin *Lotricibus* illis *Sophoclis* bene conveniat. P. 48. in versu alphabetico pulchre emendasti *ζβυ-*

χθηδὸν. Verum statim pono βέδυ, ζὰψ, χθων, aut χθὼμ, hoc est aer, aqua, terra loco tuorum βέδυ, ζάμψ, χθὼ. Hae enim postremae voces nullibi leguntur. At vero ν ante πλ et similia μ ipsius sonum accipere et in MSS. optimis formam ejus notum satis. Praeterea ζάψ terque quaterque occurrit in Stromate Clementis et toties absque μ ἐπενθέτῳ. Scias denique simili modo in Alphabetis suis colludere Arabas et Judaeos. P. 52. et aliis ob verba non sua vapulat malus ille Malelas. Dein p. 53. de Lucifero immutas quod sincerum est, Ait enim Ion, ἀοῖον ἀεροφοίταν Ἀστέρα μείναμεν Matutinum per aerem gradiens astrum praestolemur. Judicabis autem ipse recte ego an secus. Ionis hos elegos constituerim ὁ δὲ χρυσὸς Οἶνον ἔχων χῖαν νιζέτω εἰς ἔδαφος. Aureum autem poculum, quod vinum fert patrium aut Chium ad fundum evacuetur, eluatur et astergatur. Tu alio modo. P. 55. Pro ἀϊδροφῶντι, ἀϊδρίων ἀναιρετικῷ, scribe potius ordine alphabetico, ἀΐδρει φωτὶ, ἀνδρὶ ἀπείρῳ ex Homeri Il. γ. 219. et parce obsecro tuo Hesychio. P, eadem in Ἐῤῥωπίζομεν, βαιὸς pro βέβαιος legerat Palmerius ingenio quo solet uti. Tua βέβαι et γέλγη paucis placebunt eo loco.

3. [Ep. LVIII.]

Equidem, vir charissime et rarae conjectu- 188
rae facere debeo, quicquid publica causa sentis. Libelli igitur tui recentes ac madentes [que] paginas cum nuperrime te rogante perlustrarem: nihil sane Theatro Sheldonio, sed facilia omnia et proxima apud animum meum ita apposui. Quorsum autem conjectanea tam confusa, indigesta, et primi impetus in vulgus emitterem? Horum sane non pauca ultimis tuis epistolis, acute, ut soles, et recte refutasti: quod ad caetera attinet, nisi tu forte suaseris nullo meo studio ipsa defendam. Majora nunc me vocant, ὁ decus et venerandum, et ab omni scena Graeca alienissima. E libris etenim veterum Judaeorum et ab interpretamentis πατροπαραδότοις ut Χριστόν τε εἶναι καὶ παθητὸν τὸν Ἰησοῦν adstruam et commoneam id jam ago. Quapropter nostris refellendis inhibere te nolo, ne epistolae tam doctae ac luculentae coronis statim accedat, neve Malelas sive Sophista iste Johannes confestim in lucem saeculi exeat. Va-
le, vir doctissime, et in hunc sinum laetus de- 189
vola. Diem illam vehementer opto. Ox. Mart. 26, 91.

Piam illam familiam mea causa saluta: cujus moram mavult plurimo Oxonia quam transitum.

4. [Ep. LIX.]

RIC. B. E. R. S.

Ἀγαπητὲ, εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι περὶ πάντων, καθὼς εὐοδοῦταί σου ἡ ψυχή.

Scis autem qua malignitate dubitabat olim Philo ille Herennius de Hecataei scripto historico aut potius de ipsius *Judaismo:* adeo favit ille toto opere genti invisae satis eo aevo et contemptae. Imo adhuc levior esse debet Scaligeri magni suspicio. Addo his a Flavio Josepho laudari eundem Abderitae librum in se Abrami, quem tu reprobas: idque antequam suas ediderat de eo conjecturas Herennius Byblicus. Nosti etiam *πολυκηδείᾳ* et *πολυκαρδίᾳ* legi in
190 illo carmine ab aliis: ne *πολλοὶ* iterum urgeam.
Facile ergo et aequum voculam unam mutare, ut feci in *χαλκίων* quam ad veteratores integrum ablegare. Deinde Clemens ille infinitae lectionis vir et Graecorum dramatum studiosissimus rimator Sophoclem appellat citatque toties umbram ejus. *Ἦρα* autem denotare *ἔαρ* et *ἀέρα*, item *αἶνον*, *ἀλκὴν*, *βοήθειαν*, et quod volui maxime *τὸ χαρίεν* ut *ἐπίηρα*, *χαρίτια*,

εὐάρεστα, Hesychius nos ambos docuit: nec non in composito ἠριγένειαν abs ἀὴρ aut ἔαρ aut ἦρι vario etymologorum animo construi. Cur non idem et mihi licuit? Veruntamen praeter canones veteres facis quod κόπος a κόπτω deducis. Exitus enim ille — πτω nunquam non παραγωγὴν aut τὸ περιττὸν indicat. Ita πέτω, πίπτω· θήπω, θάπτω, ἄταφος et τάφος. Non mihi crede, crede potius antiquo literatori. ἀπὸ τοῦ βλάβω, βλάβη. εἰ γὰρ ἦν ἀπὸ τοῦ βλάπτω, ὤφειλεν εἶναι βλαβὴ, ὡς σκάπτω σκαφή. Quare a κέπω ego extrusi, κόπος, ut a πένω, ἐνεργῶ καὶ κάμνω, πόνος· πόκος a πέκω, non a πέκτω. σκόπος a σκέπω, non a σκέπτω· τόκος a τέκω, non vero a τίκτω. Uno verbo, cuncta in πτω exeuntia sunt pleonastica et adflictatione quadam adscita, non simplicia et primi *commatis*.

5. [Ep. LX.]

RI. BENTLEIO EDU. BERNARDUS S.

Nuper equidem legi Dodvelli viri in scripto- 191
ribus non incelebris de epistola Barnabae apostoli dissertationem longam et diffusam; quo tamen animo abs ea lectione discesserim, scies

Hostem nec amplius curant nec vindicem
Ignatius deifer decusque Barnabae,
Dodvellus adsunt Pearsonusque vindices.

Legi etiam schedam unam et paene alteram dissertationis tuae ad loca conspicua et Malelae Chronographi, certi instar argumenti, unde te tanti facerem, quem ex alloquiis jam dudum maximi aestimavi et nostrae amicitiae decus. Quid vero commeruit Ericepaeus iste Orphei, cur a te Deus quis esset, Liber pater, aliusve, aut nomen quale. Thracicum aut potius Graecum velut Phanes? Nollem equidem tua arte nobis surriperes, imo Justino nostro aliisque oratoribus egregios illos iambos, *Εἶς ταῖς ἀληθείαισιν* etc.
192 tamquam Sophocle cothurnato indignos. Commutabimus potius, non magno facinore *πολλοὶ* et *χαλκίων* pro *πολλὸν* et *χαλκέων* in carmine Attico. Video equidem ex eo specimine praeter te hominem neminem vivere qui jam Carmina Graeca possit restituere, et contra vitium temporis reformare. Cave itaque ne tantum opus deponas, neve vim fructumque aevo nostro invideas. Vale et amicum tuum gloriam meo nomine saluta.

Oxoniae, Feb. an. 1691.

6. [Ep. LXI.]

R I. B. E. B. S.

Ea sane cum pompa et asseveratione post Homeri versus Sophocleum illud εἷς ταῖς ἀληθ. infert Justinus noster, bisque gentibus objicit p. 17. et 104. pariterque idem bis urget Clemens Alex. ceu a convictore magni Macedonis in dramate filii Sophili atque item a semet in scena eadem adnotatum: ut gravioribus forte ar- 193 gumentis, quam adhuc accepimus a tam nobili testimonio adduci haud deceat. Id autem carminis Ezechielus ille Judaicus fundere haud potuit; qui saeculis haud paucis post Hecataeum Abderitam vivit, in scriptis Judaeorum et Christianorum, et scriptorum e gentibus percelebrem virum. Πολλὸν vero unius editionis alit πολλοὶ aliarum tolerari ambo in iambo illo possunt. Χαλκίων etiam quod posuimus valet aeque ac ξύλων versu eodem. Verum tamen de Ericepaeo sic enim Hesychius tuus, et alii plerique scribunt paucissimis accipe quid sentiam. Deus ille Orphei non alius esse debuit quam Liber pater, sc. Διώνυσος ζωοδοτὴρ καὶ γονόεις. Unde et nomen traxit. Est enim ἠρικεπαῖος me interprete ἀρσστοεργὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ τῶν γονέων ἐπίηρα. Nam ut a πέ-

νω πόνος ita a κέπω fluit κόπος et κοπιάω. ηρ autem χάρις et Εὐάρεστον quod Lexica vetera docent. Rectius equidem in Euripideis ἥκω ζαθέους ναοὺς προλιπὼν, Grotii δρῦς et alia sphalmata reprehendis, quam vetustos emendas versus, κραθεῖς etiam non potuit ei carmini adimi. Vale et me amare perge: qui te et familiam illam totam amo. Feb. VIII. 1691. Oxon.

Epistolam denique tuam Dodwello hodie tradidi ut jusseras.

194 Verum de Philostratis, aut potius de Hesychio quid tu amplius? Ibunt ne trans mare ἐπανορθώματα tam multa et diserta ad optimum Graevium, an manebunt typographos Anglicos?

7. [Ep. LXII.]

Ἀχινάων dein, ἀχινάδων cecidit a diversa lectione codicis Homerici, aut ab insularum istarum nomenclatura. Jam exiguo differenti. Caetera equidem laudo et te digna esse scio. Vides quam propere haec ad te scripsi: non ut valetudinem tuam interturbarem verum ut ostenderem horas alias Studiis Theologorum quae sunt principia et principibus viris dignissima, alias grammaticis concedere. Cave hos dimit-

tas unde et in S. Biblia utilitas aliqua conferri potest, ut melius, ipse nosti. Nisi mea verba apud te valeant satis, hortatorem alium excitabo, proximum tibi et carissimum ne forte taedio nescio quo tam elegans eruditis saeculo subtrahatur.

Vale.

8. [Ep. LXIII.]

Τύπος denique, quod urges, est vox prin- 195
ceps non nata a *τύπτω*. Plurima vero ex illis nominibus quae thematica esse arbitraris, caussam certam habent et originem. Ut *ψόφος* a *ψέφος* et *ψέφω* — a *φένω τὸ φονεύω*, venit *φόνος* et *φοινὸς*, ut *λόγος* a *λέγω*. *λόχος* ordines, *λέχος*, *λέγω*. *δόλος* a *δέλω* quod est *δελεάζω* alia forma. Aeolum *δνόφος*, *νέφος* commune. *πόθος*, *ζήτησις* a *πεύθω* aut *πείθω* ut grammatici prisci voluere. Vereor tamen ut illa sententia tua, *κεπ* neque in sermone Graeco neque in Latino tolerari, fundamentum idoneum habeat. Multa sane in utraque dialecto hodie non leguntur, quae tamen legi poterant sonoritate et syllabismo salvis. Imo Fabius monet et cum *θ*atro nescio quot lapides *e* et *i* facile permutare inter Latinos. Cur ergo, a *κεφαλὴ* cum venit caput aeque non scriberemus occeput et occiput, et *ἡμικέ-*

φαλον sinceput et sinciput. Verum de turpissimo (quod satis intelligis) Orphei deo Ericepaeo jam satis. Non possum tamen non mirari te de Plinii l. 16. 33. *Tarentinam* cupressum contra Catonem in rusticis et laudatum ab eo Manium Pescennium, dimovere aut corrigere.

196 Aerariam etiam frustra mutas. Pithecusa enim insula vix apta minus huic soboli quam sua Creta Rhodusve. Hesychius praeterea in voce non nostra charta scripta tuendus, *λυδιάζων, ὁ χορεύων κατὰ* vel *διὰ τοὺς Λυδοὺς οἱ συνουσιάζουσι μὲν διεσκευασμένοι δ' εἰσίν.* Nosti paroemiam de mollissima gente. Post *καθωσίωσε* leges *κατέλευσε.* Praeterea Suidas te jubet utraque vocabula *εὐηρότατον* et *εὐήροτον* retinere. Hesychius tamen nomini comparato duo significata, plane adversa adscripsit, ab aëre et ab aratro; cujas obsecro insania? Legendum hunc in eodem grammatico *ἀνὶ δ' ἐνεγκόμεθα, ἐναντιούμεθα.*

9. [Ep. LXIV.]

P. 57. *Εὐβοΐδα μὲν γῆν λεπτὸς Εὐρίπου κλύδων*
Βοιωτίας ἐχώρισ' ἐκτεμὼν
Πρὸς Κρῆτα πορθμόν. Recta sunt illa omnia Ionis.

Portus enim Chalcidius contra Cretam aperitur. Imo vero ad eam plagam maxime hiat Euripus. P. 57, 58. Sophocleum illud *ἀπῆξε πέμφιξιν οὐ πέλας πόρον* sic reformo: *ἀπῆξε πέμφιξιν ἰοῦς πέλας πόρον.* Erat enim Bosporus, quis 197
nescit, *ἰοῦς πόρος.* Vel valeat magis prior et melior tuarum emendationum. P. 59. Facilius est, *εἶτ'* vel *εἶ δ' ἄνθη πέμφιγες ἐπιτρύζουσι ἀνόντα,* Velut caducis floribus obmurmurant et lamententur nimbi. Vale vir potissime, et me ama.

Oxoniae, XI. April. 1691.

10. [Ep. LXV.]

VIRO REVERENDO RICHARDO BENTLEIO

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

Quum sciam Te, Vir Reverende, studiis ne- 198
gotiisque distineri, ea interpellare religioni duxissem, nisi res ageretur, quae non minus ad famam tuam, quam ad meam ipsius existimationem pertinet, quamque negligere nefas esse putabam. Rumor ab aliquot hebdomadibus per totum Belgium sparsus est, et indies augetur, Te ad *Petrum Burmannum,* Professorem Ultrajectanum misisse, aut mitti curasse, ut ab eo ederentur, animadversiones in Menandrum; in

quibus errores scilicet mei multi, et graves arguerentur. Nondum persuadere mihi potui ea a calamo tuo potuisse proficisci, quae famam viri, qui semper honorificentissime de Te sensit, et in editis scriptis locutus est, quamvis esset forte, cur non nihil quereretur, atrociter laederent, et quidem in gratiam hominis maledicentia sua in omnes infamis, et cum maxime in
199 me debacchantis. Sed quum rumor ille increbesceret, et mox opusculum in lucem proditurum esset, existimavi mei esse officii ea de re Temetipsum consulere, ne imprudens aliena tibi tribuerem, neve de ejus moribus cujus eruditionem suspicere solitus eram sequius quam par est, sine causa sentire inciperem. Itaque fac quaeso, ut sciam an injuriam tibi faciant, qui talia tibi tribuunt, quo me et mea, sine ulla insectatione nominis tui possim tueri. Satis intelligis, aequum non esse mihi famam tuam obesse, et hominem protervia et nequitia summa ubique jam notum, auctoritate tua abuti, ut mihi noceat; aeque sane hoc ferre sustineas, nisi *Burmanno* quidem favere, mihi vero infensus esse videri velis. Vidisti praefationem ejus *Petronio* praefixam, et forte infamem libellum Gallico sermone deinde in me scriptum. Ea vero sunt ejusmodi, ut qui ad

eorum auctorem, quidpiam, quod in me tor-
queat, miserit, aeque mihi inimicus, ac Petro-
nianus interpres a me habeatur necesse sit.
Quod de te, Vir Reverende, vix possum suspi-
cari, cum quia nulla, ut probe nosti, unquam
re a me provocatus fuisti, tum quod homine
Christiano et praesertim Theologo prorsus indi-
gnum sit, imo et a communi humanitate alie-
num. Tuum ergo erit per primum tabellarium,
postquam hasce acceperis, me docere, quid ea 200
de re credi et dici a me velis; nam silentium
diuturnius rumores confirmaret, certe id aliter
interpretari non possem. Itaque a te vel paucu-
lorum versuum literas expecto, quamprimum
venti ad eas quae sunt 25. Junii st. novo, (quo
die scribebam) in Angliam mittendae, responsa
huc retulerint. Vale, Vir Reverende, neque si
falsa de te narrantur amicum certum, nisi fasti-
dias, habeto; sin minus, famae meae prout vi-
sum fuerit me posthac consulere ne mirator.
Si, ut spero, opusculum, quod Ultrajecti edi-
tur, tuum non sit, nihil erit cur candori meo
indigneris; at si esset ingenii tui foetus, nullo
profecto jure, ut tacerem, a me exigere posses.
Posterius autem hoc, verum esse ut intelligam,
verbis nullis opus erit. Solum silentium me
quid sit mihi credendum docebit. *Σιωπή*, ut

Euripidea verba usurpem, mihi erit ἀπόκρισις. Iterum vale.

11. [Ep. LXVI.]

201 CELEBERRIMO VIRO JOHANNI CLERICO

S. P. D.

RICHARDUS BENTLEIUS.

Quanquam ut tu fere conjecisti, et studiis et negotiis cum maxime distinear, nolui tamen committere, quin ad litteras tuas, quas heri demum accepi, rebus omnibus relictis, continuo responderem. Ita enim pro imperio jubes, minasque addis regaliter, *Ni per primum tabellarium* de suspicione quadam me expurgem, illico de me actum iri, nam *Σιωπὴ τοῖς σοφοῖς ἀπόκρισις*. Quid quaeso est, si hoc non est *Ῥῆσις ἀπὸ Σκυθῶν*? Ergo si aut literae tuae forte intercidissent, aut hae meae interciderint; eo res recidit, ut absens, inauditus, damnandus sim, et in proximo, opinor, Bibliothecae Selectae tomo conviciis proscindendus. Quid autem tantopere doles, aut quo tuo numine laeso, tam iracunde mecum agis? Rumor scilicet, ut narras, per totum Belgium increbuit, me Animadversiones in Menandrum tuum scripsisse, *in quibus errores multi tui et gra-*
202 *ves arguuntur.* Principio, quicquid id in Bel-

gio rumoris est, (nam in Britannia nulla de ea re aura nec susurrus est), scias velim, me a Cl. Massono nuper ex Batavia reduce rescivisse, totum esse ex te ortum et profectum. Eum in Belgio convenerat amicus tuus Cunninghamius, qui longam fabulam orditur, Burmannum scilicet inter pocula narrare, se animadversiones in tuam Menandri editionem ex intima Germania sibi submissas mox proelo esse commissurum, in quibus gravissima tua *Παροράματα* nudarentur et corrigerentur. Cunninghamium tamen, Bibliopolae nescio cujus Scoti indicio, non ex Germania, (ut prae se ferebat Burmannus,) sed ex Britannia fasciculum illum apportatum pro comperto habere, et id tibi renunciasse: quo te audito continuo in me fabam illam cudisse, et proinde orare Cl. Massonum, ut quasi aliud agens, id de me exquireret, et astu expiscaretur. Haec omnia mihi Massonus Londini; cui quod e re erat statim respondi. Hactenus de rumore, qui si ullus est, totus tibi et Cunninghamio debetur. Vix enim crediderim Burmannum, (etsi ater an albus sit nescio,) tam ferrei esse oris, ut me ejusce foetus patrem esse, vel verbo insimulare ausit. Esto autem, ut vera narraverit Bibliopola ille Scotus: quid? nonne multi in Britannia peregrinantur Germani, qui

203 id, quicquid est, nondum editum, facile scripsisse poterant? Nonne plurimi ex nostratibus sunt Graece doctissimi, qui, si libuerit, idem facere possint? Cur igitur de me uno suspicionem hanc spargis? Me, quem aliis studiis occupatum esse probe noveras, quem ut lentum et ὑπερήμερον in promisso dudum Horatio, quem (usura jam forte majore) *solvendo non esse* non sine sanna publice traduxeras. Sed aliter jam tecum expostulabo. Esto ut parens fuerim libelli istius, nondum, ut fateris, tibi visi, aut de una pagina cogniti. Quid eo facinore tantum de te essem commeritus? Equidem editionem illam tuam nondum in penu habeo, sed ab amico commodatam inspexisse me fateor. Hanc igitur hodie ab eodem petii, et lecta tua ad lectorem praefatione, tam dispares in eodem homine affectus ad stuporem me dederunt. Jam facinus indignum clamitas quod ad Menandrum emendationes a quoquam edantur post curas tuas. Tune ergo is eras, qui *Te volente et plaudente collectionem tuam augere, emendare, et meliora tuis substituere quosvis hortabaris?* Tune eras, qui, *si quis quid emendaverit felicius quam a Grotio factum est, ei gratias te habiturum, et commoda occasione data palam acturum,* praedicabas? Quae haec inconstantia est? Cur haec mutatio

fit? Addis quidem in posteriore loco, *si quis* 204
velit rem tecum communicare: et illud forte indignaris, te insciente, nec venia tua prius impetrata, quemquam id fuisse ausum. Verum id quaeso memineris, *ἀφθόνους εἶναι Μουσῶν θύρας*, liberaque esse hominum ingenia, et frustra te quaesiturum, ut regnum hic obtineas. Quid ergo, an famae tuae obesse credis, quicunque, te vivente, Menandrum attigerit, nisi ex officina eum tua prodire patiatur? Miseret me tui, si eo animo humaniores literas tractas: valeat potius res ludicra, si te Palma negata macrum, donata reducit opimum. Et tamen nescis adhuc, ut video, an in libello illo mox prodituro clementer et sine sale nigro errores tui castigentur. Quid igitur est de quo tam immature queraris? Nimirum quod Burmanno is liber traditus sit, *qui enim ad eum quippiam quod in te torqueat miserit, aeque tibi inimicus, ac Petronianus interpres a te habeatur necesse est.* Vide vero quam arctas et iniquas amicitiae tuae leges constituas: Si quisquis Burmanni ingenio faverit, continuo ut tibi infensum male oderis. Equidem doleo tam acerbas inter vos simultates exarsisse, quas e re communi utriusque est quam citissime restingui: uterque enim *ὀλοαῖς μανίαις* depugnare videmini. Ego

pacis quidem sequester libenter fuerim, pugnae arbiter minime. Nullus interim video, qui aut cum tua contumelia, aut cum laude Burmanni junctum sit, sive quis Germanus, sive Britannus Menandrea sua edenda illi commiserit. Quid? An tu existimas, leviores visum iri errores tuos, si libellus iste Lugduni, aut Amstelodami ederetur? An Burmannus eo nomine cristas attollet, quod nescio quis e Germania te in Graecis peritior sit? Noli quaeso exercere odia tam magno tibi constatura: sed ex libro ipso potius, quam ex editore, pone iras vel sume. Quî enim scis an Germanus ille nihil quicquam de lite vestra tum resciverit? An casu et auctore inscio per alium quempiam ad Burmanni manus liber devenerit? Me quod attinet, nunquam ad eum literas misi, praeterquam semel, post acceptum dono Petronium, in quibus si verbulum de Menandro intrat, me tibi mancipio habeto. Sed suspicione semel jacta, inclamas me verbis atrocibus, fecisse, *quod homine Christiano, et praesertim Theologo prorsus indignum sit, imo et a communi humanitate alienum.* Parcius sodes ista et viris et Theologis. Ea olim didicimus, non adhuc a te docendi. Enimvero, si hic jam me libelli patrem profiterer, quid amabo, erubescendum

aut Christiano homine indignum in me admitterem? Cur non potius laudem inde gratiamque possem sperare, si conclamata Menandri loca restituerim quae tu et Grotius aut intacta 206 praeteriistis, aut frustra tentastis? Neque enim quisquam te feret paratragoediantem, et coelum terramque in nugis invocantem, injuriam tibi fieri, famam tuam indigne lacerari, factionem Grammaticorum in te conciri, decori et honesti officia proteri, et caetera quae ad fastidium lectoris, ubi quid te laeserit, ubique ingeris; omnium istorum immemor, cum adversus alios calamum stringis. Quale enim illud est, quod in literis tuis aperte prae te fers? idcirco te me consuluisse ipsum, ut si rumor ille falsus fuerit, *te et tua sine ulla nominis mei insectatione possis tueri.* Ergo quicumque demum auctor tibi compertus fuerit, non res ipsas excuties, non errores reprehensos aut elues, aut candide agnosces, sed *nomen hominis insectabere.* Agnoscimus vestrum tam Christianum: hoc scilicet est te et tua tueri, hoc adversarios tuos probe ulcisci. Illud quoque quam ingenui hominis est jamdudum tecum statuisse, libro nondum viso, qualiscunque ille fuerit respondere, et tua defendere? Quid? An omnia, recta, prava, quocunque pacto tueberis? Alia astute dissimula-

bis, alia speciose incrustabis? Monitorem tuum probris incesses, qui te *Plausorem* fore pollicitus es? Hae certe non criticae erunt artes, sed Hypocriticae. De libro quidem, et auctore
207 nondum cognito, non nisi conjectura loqui licet: tamen, (ignosces libere tecum agenti) si modo auctor ille suscepto operi non impar est, sudabis satis, imo laterem plane lavabis, si omnia tua ad Menandrum defendenda in te recipies. Quot enim ibi, cum raptim percurrerem, puerilia errata vidi, quot in Graecis Ὀψιμαθείας indicia? Quam spissam metri ignorantiam? Crede mihi, non minus indolui, quam si cognatus, aut frater esses, te imprudentem in ea te conjecisse, unde non magis pedem referre possis existimatione salva, quam olim ex Cyclometricis suis magnus Scaliger. Et continuo augurabar te temeritatis tuae poenas alicui daturum, qui cum Comico manum admoveres, ipsas versuum leges, sine quibus nihil sani aut certi statui possit, nescisse te prorsus, nescire non poteras. Quo igitur tibi, qui in aliis magna cum laude versari posses fragmenta comica, quorum nullum fere sine nucleo duro est, ignara manu solicitare? Equidem et ingenio tuo, et (praeterquam ubi serus ad studium aliquod accesseris), judicio faveo; et (si quid id tibi so-

latii feret) si forte paucula duntaxat Burmannianus scriptor mutaverit, plus ducentas, opinor, ad fragmenta tua emendationes nullo negotio possum suggerere, et quod optas, tecum rem communicare; ut si ille dormitaverit, et negligenter rem gesserit, tu tuam vicem insultare ei 208
possis. Amo enim te, et gratiam habeo, si, (ut narras) *semper honorificentissime de me senseris, et in editis scriptis locutus sis:* quanquam (in quo conscientiam tuam appello) viri utroque nostrum meliores doctioresque succum quendam loligiuis in postremis, ubi me memoras, scriptis deprehendere sibi visi sunt. Quorsum enim attinuit, cum forte dixeram *Emendationes ad Tusculanas una alterave diecula mihi natas esse*, sic te id defendere, ut me mendacii insimulare non dubie videaris? Atqui et ipsa ad Davisium Epistola clare se ostendit non more praefationis postremam accessisse, sed prae illis caeteris anteisse: cum *opellae*, inquit, *huic quam a me exigis manum jam admoveo.* Ergo id volui, non integrum scriptum (qui enim posset?) sed emendationes illas omnes intra biduum mihi natas esse: cujus rei testem appellavi ipsum Davisium, quocum in Musaeo meo die altero post libros ejus receptos, omnes istas emendationes recensui, et ipsum singulis assentientem habui.

Quorsum etiam attinuit, cum ex emendationibus specimen quoddam lectori exhiberes, minutas quasdam, et ideo tantum, ne nescisse eas viderer a me positas depromere, tot alias illustriores supprimere? Cur id, nisi aut mera
209 aerugine, aut potius ut in minutiis illis Censorem ageres, et speciosiora nostris de tuo produceres? Quae tamen qualia sint, jam nihil opus est dicto. In his inquam viri probi doctique latentem aliquam offensam, et male celatum ulcus, subodorati sunt. Sed non ego credulus illis: Scio enim te famae omnia dare, et facile id condono, ubi facit πρὸς τὰ ἄλφιτα. Quam qui magnopere affectant, disciplina eis est auctorem aliquem laudibus efferre, et postea in ejus scriptis cornicum oculos configere, quo se laudato illo superiores ostendant. Hac, ut credibile est, mente, tu conjecturis nostris te ultro immiscuisti: idem tamen et Germanos et Britannos, a Menandreis tuis longe arces: Melius non tangere clamans; ut a Christiano more alienum, diris id devovens. Videris autem quid illa sibi in epistola tua velint: *Quamvis esset fortasse cur nonnihil de te quererer?* Quid sodes tu de me? nisi ipsum de te et tuis silentium in criminis speciem trahatur, quod non extra oleas et operis fines vagarer, te et tua ci-

taturus. Sunt enim qui hoc indignantur, se in cujusvis argumenti scriptis suas laudes non reperire. Quod ipsum ubi commoda se obtulit occasio, quam non parca manu tibi dederim, etiam cum a sententia tua alienus forem, tuum jam erit judicium. Illud enim quod in Flacco extat, *fortissima Tyndaridarum*, tu infeliciter 210
sic refingere voluisti, *Tyndaris horum*, ignorans, ut alia praeteream, haec a Quintiliano laudari: Inst. Orat. XI. 4. nonnunquam in singulis verbis binos pedes, fine versus contineri: nunc cum *quinae syllabae* nectuntur, ut *fortissima Tyndaridarum* nunc cum quaternae, ut *Apennino*, *Armamentis*, *Oriona*. Eum ad Flacci locum pag. notarum 227. haec, ut spero, brevi de te leges: „Quem tamen nodum non solvere, sed secare, nuper conatus est vir et ingenio, et eruditione celebris JOANNES CLERICUS:“ et mox: „Quod equidem nolim viro sagaci et de notulis meis ad Horatium promissis tam bene existimanti sub calamum unquam venisset:“ et iterum: „Male igitur conjectura cessit viro alioquin ingenioso.“

Haec inquam ibi reperies vere et ex animo de te dicta: haec tamen tibi tribuens non et caetera omnia tibi dederim, quaecunque tu nimia laudis cupidine conaris tibi arripere. Utere

ergo me ut libet: amico si vis: nunquam certe
inimico futuro, quodcunque in me feceris. Sed
volat Hora, et expectas tandem credo, ut librum
illum Trajectinum ejurem, nisi statim me ejus
reum peragi velim. Si alia via rem tentasses,
neque primo quasi insidiis, deinde et minis me
aggressus esses, libro interea nondum viso, ne-
211 que comperto tibi, an auctorem aperte prae se
ferat, an ineptus, indoctus sit, nec sine mani-
festa injuria in me transmovendus, voti te com-
potem dimitterem: sed ut nunc est, hoc habe,
me quicquid id libelli est pro meo non agno-
scere; quod si tu tamen suspicionibus vanis in-
dulgens me quietum et absistentem in litem ar-
cessas, et *nomen meum insecteris*, fore fortassis,
ubi magno optaveris emptum intactum Pallanta.
Vale.

Dabam Cantabrigiae, Kal. Juliis. St. Vet.
MDCCX. Ubi liber iste prodierit, et ab utro-
que nostrum lectus fuerit, si quid tum postea
per epistolam a me cupis interrogare, me habe-
bis obsequentem. Iterum vale.

12. [Ep. LXVII.]

DR. BENTLEY TO DR. DAVIES. 212

Dear Sir,

After you left me this morning, I borrowed of Dr. *Sike* Mr. *Barnes's* new edition of *Homer;* where I was told, that I should find myself abused. I read over his dedications and prefaces; and there I found very opprobrious words, against enemies in general; and one *Homo inimicus* in particular: which I cannot apply to myself; not being concerned in the accusation. But if Mr. *Barnes* has, or does declare in company, that he means Me by those expressions; I assure him, I shall not put-up such an affront; and an injury too: since I was one of his first subscribers; and a useful director to him, if he had followed good advice. He struts and swaggers like a *Suffenus;* and challenges that same enemy to come *aperte*, and shew him any fault. If he mean Me, I have but dipped yet into his Notes; and yet I find every-where just occa- 213
sion of censure. Il. Ξ. ver. 201. — Ἀλλὰ ἀποπτανέουσιν, ἐρωήσουσι δὲ χάρμης. Thus all editions have it: but in this we have it, in the very text; Αὔταρ ἀποπτανέουσιν· and this noble note added; Αὔταρ.] Ita omnino; pro Ἀλλὰ, ut

olim. So we have *αὖταρ* clap'd — in *pro imperio;* only to avoid the *hiatus* of two vowels, ἀλλὰ ἀ — Now for this interpolation alone, his book deserves to be burn'd. Let us examine into the passage a little; what is ἀποπτανέουσιν? He translates it, *respicient;* but says not one word to explain it. His friend *Eustathius*, to whom he owes the better half of his notes; knows not what to make on't: whether it be ἀπ — οπτανέουσιν, from ὄπτω, ὀπταίνω. i. e. ἀποβλέψουσιν· or ἀπο — πτανέουσιν, from πτῶ, πταίνω, φοβοῦμαι, i. e. πτήξουσιν· or from πέτω, πταίνω, i. e. πετασθήσονται. But who ever heard of either ὀπταίνω or πταίνω? where does our Professor find either of them? he is wholly mute, upon this word; which is ἅπαξ λεγόμενον· and yet the wretch would venture blind-fold to put — in *αὖταρ*. But the true reading is thus — Ἀλλ' ἀποπαπτανέουσιν — ἀποπαπταίνω fut. — παπτανῶ, Ionice, — παπτανέω. Παπταίνω comes forty times in Homer: and, if He had been, as he thinks himself, *Maeonides*, sextus pavone ex Pythagoreo; he might have found — out the
214 emendation: which is clear, *per se;* but I will prove it so, by authority. Etymol. in Ἀποπτάμενος; πέτω, πεταίνω καὶ παπτανῶ πα-

πτανοῦσι καὶ μετὰ τῆς ἀπὸ προθέσεως ἀποπτανοῦσι· so it is printed, indeed; but it is evident, that he wrote it ἀποπτανέουσι,' and had respect to this place; as Sylburgius well observes. Again, Hesychius, in the right series between ἀποπαξ et ἀποπαρ, has it thus; Ἀποπαττανέουσιν, περιβλέπουσιν ὅπως φεύγωσιν· correct Ἀποπαπτανέουσιν, περιβλέψουσιν — He means this very passage; as appears by the Scholiast: ἀποπτανέουσιν· ἤτοι ἐς τὰς ναῦς ἀποβλέψουσιν, ἢ ἀλλαχόσε, ὅ ἐστι, φεύξονται. What says our Professor to this jobb? Ἔργον Ὁμηρείοιο τόδ' ἔπλετο Βαρνεσίοιο; to foist in αὖταρ of his own head: and so, *quantum in se*, extinguish the true reading for ever! which, while ἀλλὰ was preserved in the text, might sometime be retrieved.

I dipped into his second volume; and there I found this learned correction. Od. *Λ*. ver. 546. p. 307. *Agamemnon*, says the Scholiast, to judge fairly, whether *Ajax* or *Ulysses* best deserved Achilles' armour; Αἰχμαλώτους τῶν Τρώων ἀγαγὼν ἠρώτησεν, ἀπὸ ὁποτέρου τῶν Τρώων μᾶλλον ἐλυπήθησαν· εἰπόντων δὲ Ὀδυσσέα, he gave the armour to Him — Here our Professor corrects it, ἀπὸ ὁποτέρου αὐτῶν οἱ Τρῶες· and thus acts *Thraso* in his note — *Ita emendo; sensu postulante: quique hoc*

valent, ad hos provoco. Impertinence! to ap-
215 peal to men of sense here: as if it required much sense to know, that *Ajax* and *Ulysses* were not Trojans! The business is to correct the place neatly; that is, truly; as the Author wrote it: which he has not done; but has gone clumsily about it. I 'll give him the true lection, with altering half a letter; *ὑπὸ ὁποτέρου τῶν Ἡρώων·* from which of the two Heroes they suffered most. This is clear and neat: but our Professor, besides his botching in the words, has sullied even the sense: for the captives were not asked, what *οἱ Τρῶες*, all the Trojans, thought; but what they themselves thought. — Again, over the leaf; p. 309, ver. 576. I find this worthy note: The poet had said of *Tityus*, *ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.* Upon which the Scholiast; *πλέθρον, ἕκτον μέρος σταδίου — ὥςτε Τιτύου τὸ σῶμα κατέχειν τόπον ἑνὸς ἡμίσους σταδίου.* So all former editions. One *πλέθρον* being one sixth of a Stadium, nine *πλέθρα* make one Stadium and a half. Now comes our learned Professor's note. Cum *πλέθρον* sit sexta pars Stadii et Tityus occupet novem *πλέθρα·* sequitur, illum spatium occupare non unius dimidii; sed unius stadii et dimidii: quare inter *ἑνὸς* et *ἡμίσεος*

addendum erat τὸ *ΚΑΙ*. Here is your *Profes-
sor emeritus;* that has made Greek his study,
per annos quadraginta: to whose pueritia other
people's manhood cannot reach! Now, to par- 216
don him his silly interpolation of ἡμίσεος for
ἡμίσους, and so making the Scholiast write
Ionice; it is plain he thought, ἑνὸς ἡμίσους
signified one half; and not one and a half: a
piece of ignorance, for which he deserves to be
turned out of the Chair; and for which, and
many others like it, *si magis me irritaverit,* I,
as his principal elector and governor, may call
him to account. What! he, that in his prefa-
ce has bragged of perusing *Pollux, Suidas, Ety-
mologus;* not to know what all of them teach
us! ἓν ἥμισυ τάλαντον, says *Pollux* lib. IX. is
τρία ἡμιτάλαντα· one talent and a half: not
one half talent, as this booby would think it.
So in those lexicographers and authors *passim,*
δύο ἥμισυ, τέσσαρα ἥμισυ, ἓξ ἥμισυ 2½ 4½ 6½;
δεκαδύο ἥμισυ, 12½; not twelve half, I hope.
A fit man indeed, *per annos quindecim in Grae-
ca Cathedra celeberrimae Academiae sedere!*

From thence I dipped into his fulsome ἐπίλογος, enough to make a man spew; that sees the vanity and insolence of the writer: where I met with these verses;

Δὴ τότ' ἐγὼ, τρίγλωσσος ἐὼν καὶ ἀοίδιμος ἀνήρ,
Εὐπραγίης τ' ἔλαχον, καὶ τιμῆς κυδιανείρης.

But what a shame is it for a man, that pre-
217 tends to have been *a teneris unguiculis* a great Grammarian and a Poet; not to know, that the second syllable of *εὐπραγίης* is long!

Sir, I write to you, as a common friend; and desire you to shew Mr. *Barnes* this letter: but not to let him keep it, nor transcribe it. If it be true, that he gives out, that he means Me by those villainous characters; I shall teach him better manners towards his elector. For though I shall not honour him so much, as to enter the lists against him myself; yet in one week's time I can send a hundred such remarks as these to his good friend *Will. Baxter;* whom I have known these twenty years: who, before the Parliament sits, shall pay him home for his *Anacreon.* But, if it be otherwise; that he does not describe Me under those general reproaches: a small satisfaction shall content me; which I leave you to be judge of. For I would not, without the utmost provocation, hurt the sale of his book; upon which

he professes to have laid out his whole fortunes. Pray, let me hear from you; as soon as you can. I am, etc.

Trin. Coll. Saturday Evening.

13. [Ep. LXVIII.]

D. FRANCISCO GACON, 218

S. P. D.

RICHARDUS BENTLEIUS. *)

Literas tuas IX Novembris datas nudius tertius accepi; quibus significas, te Anacreonti in metra Gallica vertendo dare operam: et de duobus locis sententiam meam scire cupere. De priore illo num. XIII. quaeris, utrumne Attis Cybeles amore in furorem agi dicendus sit; an potius ira Cybeles, quod is alio amorem verterat. Neutrum ex his verum: quippe locus iste mendo laborat, et in hunc modum corrigendus;

Οἱ μὲν καλὴν Κυβήβην
Τὸν ἡμίθηλυν Ἄττιν

*) Hanc epistolam, e tenebris, ut ipse ait, olim prolatam edidit Brunckius in ed. Anacreontis Argentor. a. 1786., unde repetiit eam Schaeferus in ed. Anacr. Lips. 1811. p. 97 sqq. Exstat etiam juxta praecedentem epistolam in *diss. upon the epp. of Phalaris.* Ed. Nov. Lond. 1817. p. 441 sqq. *FR.*

Ἐν οὔρεσιν βοῶσαν
Λέγουσιν ἐκμανῆναι·
Οἱ δὲ, Κλάρὸν παρ' ὄχθαις
Δαφνηφόροιο Φοίβου
Λάλον πιόντας ὕδωρ
Μεμηνότας βοᾶσαι.

219 Quae sic accipienda sunt: „Sunt qui dicunt, formosam Cybelen insaniisse; inclamantem in montibus pulcherrimum Attin.“ Ipsa, vides, *Cybebe*, sive *Cybele*, amore *Attidis* percussa, insaniit: ut ex Phrygum historia rem diserte narrat *Diodorus Siculus*, lib. III. *Cybebe* ergo hic *puella* est; nondum scilicet inter Deos relata: neque καλὴ est *alma;* sed, ut passim, *formosa:* neque ἡμίθηλυς est *Gallus*, *Spado;* sed mollibus foemineisque fere membris, prae pulchritudine: ut in illo *Ausonii*,

Dum dubitat natura, marem faceretne puellam;
Factus es, o pulcher, *pene puella*, puer.

Pene puella est ipsum illud ἡμίθηλυς. Hanc nostram emendationem et verborum series constructioque et Diodori quem consulas locus, plane efflagitat. Jam illa quae sequuntur, vide modo antithesin; οἱ μὲν λέγουσιν, sunt qui di-

cunt; *οἱ δὲ*, alii vero; subaudiendum, dicunt: unde necessario, ut vides, nominativos illos *πιόντες* et *μεμηνότες* in accusativos immutari oportet. Tu igitur in versione tua, si ad Anacreontis elegantiam adspiras, sic locum adumbrabis: „Alii dicunt, formosam Cybêlen in montibus pulchrum Attin invocantem, insaniisse: Alii dicunt, eos qui Clari aquam bibunt furentes clamare.“ Nisi hoc modo oppo- 220
sitionem expresseris, perit magna pars venustatis. Ceterum in loco altero, num. XIV. ubi quaeris de istis verbis,

Ἔλαβεν βέλεμνον Ἄρης·
Ὑπεμειδίασε Κύπρις.
Ὁ δ' Ἄρης ἀναστενάξας,
Βαρύ, φησιν, ἆρον αὐτό·
Ὁ δ' Ἔρως, ἔχ' αὐτό, φησί.

utrumne id velint, Amorem suum jaculum *in manus modo* Marti *dedisse;* an in Martem *contorsisse*, et eum *vulnerasse:* Neutra ex his sententia, sed alia inter utramque media, vera est. Quippe Cupido non contorsit jaculum; sed manu tantum capiendum tradidit: at repente jaculum, ex vivo scilicet igne et aethereo fulgure constans, in Martis corpus se sponte insinuavit; et reconditum latuit. Inde est illud,

ἀναστενάξας, gemitum et suspirium ducens; ob vulnus scilicet: et *ἆρον αὐτό· tolle, quaeso;* quippe in intima corporis penetraverat: *ἔχε* vero *αὐτό, tecum serva,* ait Cupido irridens; qui solus potuit extrahere, sed noluit.

Haec *αὐτοσχεδιαστὶ* et ex tempore tibi exaravi: quibus utere tuo arbitratu. Multa quidem in aliis Anacreontis locis emendatione indigent;
221 non pauca etiam sunt spuria: quae a genuinis dignoscere paucorum erit hominum, etc.

Cantabrigiae; die XX. Nov. MDCCXI.

14. [Ep. LXIX.]

ERUDITISSIMO VIRO JO. CHRIST. BIEL

RICH. BENTLEIUS.

S. P. D. *)

Literas tuas, Vir Clarissime, 10. Julii 1714. Brunsvigi datas, sero tandem accepi, mense Augusto exeunte; in quibus sententiae meae de *Glossis sacris in Hesychio*, quas ego *spurias* et *insititias* mihi videri, dudum in sermone quodam tibi dixeram, rationes a me exigis. — Equidem ante annos paullo minus XXX. ado-

*) Hanc epistolam inter praefationes et dedicationes Albertius ex autographo praemisit Hesychio suo T. I. *FR.*

lescens id subodoratus sum, et in exemplari meo Notha illa jam tum uncinis [ ] hoc modo inclusi, quo mihi facilius promptiusque est, dum volante oculo pagellas singulas percurro, voluntati tuae obtemperare.

Principio itaque aut pridem animum adver- 222
tisti, aut nunc demum (me monente) agnosces, Gentilia verba omnia totumque adeo Lexicon Hesychianum verum, ad seriem literarum tam in secundis quam primis Syllabis more Dictionariorum hodiernorum accurate institutum esse. Quam seriem si quando (ut fit) interruptam invenis, id mea fide credas velim inde evenisse, quod Orthographia Auctoris, in illis vocabulis plerumque vitiosa, ab Editoribus vel Scribis Librariis postea mutata fuerit. Hoc jam posito, illud, quod proximum est, jam mecum contemplare. Glossas illas, de quibus nunc agimus, extra seriem, locis non suis, plerasque omnes reperiri; certissimo opinor indicio, non ab Auctore profectas esse eas; sed a studioso quodam Christiano in exemplaris sui margine et ora vacua scriptas, post illa (quod in aliis libris multis scimus accidisse) prava Exscriptoris diligentia in contextum esse diditas. Cum autem Glossas illas prae marginis angustia lineola una non caperet, pluraque adeo in Textu vocabula intra

Glossae alicujus marginalis caput caudamque
comprenderentur; et ignarus et parum dili-
gens Exscriptor conturbavit pleraque omnia, et
extra ordinem collocavit: Ἀβδιοῦ scil. ante
Ἀβδηρίτης malo more posuit: Ἄβελ post Ἀβελ-
τερία, Ἀβρὰμ post Ἀβρομίτρας, Ἀνδρέας post
223 Ἀνδρείκελον, Ἀπόλλων post Ἀπονομὴ, μὴ Ἀπο-
σκορακίσῃς με ante Ἀποσκόλυπτε, Ἀρὰμ post
Ἄραρος, Ἀσάριον post Ἄσεπτον; Βαιθὴν post
Βαιὸν, Βαροὺχ et Βαρθολομαῖος, post Βα-
ρύθων, Βέθηλον (male pro Βεθὴλ) ante Βέ-
βλωκεν, Βεζὲκ post Βείματι, Βελιὰρ et Βεελ-
φεγὼρ post Βέλλια, Βοῤῥᾶς bis, ante Βόρβο-
ρος et ante Βόρμαξ; Γαλαὰδ et Γαλιλὰ post
Γαλάσιον, Γεννισαρὲτ post Γένυς, Γνώμην δί-
δωμι ante Γνύθοι, Γόμοῤῥα post Γόμφους;
Διάψαλμα ante Διαφρονέων; Ἐβὼβ post Ἔβω-
σεν, Ἐζεκίας post Ἕζεσθαι, Ἐλαμῖται post
Ἔλασμα, Ἐφραΐμ ante Ἐφόδια; Ζαβουλὼν
post Ζαέντες; Θωμᾶς ante Θόας; Ἰάκωβος
post Ἴαρ, Ἰασοὺβ ante Ἰάραξ; Ἰὼ, Ἰωαθὰμ,
Ἰωὴλ, Ἰωνᾶς omnia post Ἰώψ; Κάδης post Κά-
δος, Καΐν ante Καιλοὺς, Καπερναοὺμ post
Καπρίσκος, Κοδράντης ante Κοδομεύει; Λού-
ζα post Λουτροφόρα; Μαμβρὰ post Μαμμά-
κυθος, Μαμωνᾶς post Μανδύη, Μανσοὺρ an-
te Μάνης, Μανασσῆς post Μανδύη, Μαρανα-

θὰ ante *Μάραγνα*, *Ματθαῖος* post *Ματρυλλεῖον*, *Μιχαίας* ante *Μισὺ*, *Μνᾶ* post *Μνήμη*; *Ναβὰν* post *Ναΐκισσ*. *Νεφθαλεὶμ* ante *Νέτωπον*, *Νισὰν* post *Νίσσεσθαι*; *Ὀζείας* post *Ὄζος*; *Παῦλος* ante *Πατρακλοίας*, *Πέτρος* post *Πεττεύει*; *Ῥακκὰ* et *Ῥαμὰ* ante *Ῥαθώδημα* (quod Hesychii peccatum est pro *Ῥαψῳδημα*), *Σαβὰ* et *Σαβὲκ*, illud post *Σαβάζειν*, hoc ante *Σαβάζιος*, *Σαραβάρια* et *Σαδδαεὶ* et *Σαβαὼθ*, hoc post *Σαγγάριος*, illa ante *Σάγδην*; *Σεδὲκ* post *Σεελλίσαι*, *Σειρῆνες* post *Σειροὶ*, *Σιλωὰμ* post *Σιμοῦσι*, *Σόδομα* ante *Σόγχος*, *Σοὸρ* post *Σορεύει*, *Σουφεὶρ* post *Σοφία*; *Ταβεὴλ* ante *Ταβάλα*, *Τάλαντον* ante *Ταλανταίων*, *Τὰ ὅπλα* post *Ταπίδες*, *Τερέβινθος* post *Τετέλεσται*; 224
Ὑψιστάριος post *Ὕων*; *Φακεὲ* post *Φάκται*, *Φαρισαῖος* et *Φαραὰ* ante *Φάλαινα*, *Φίλιππος* post *Φλέβες*; *Χανὰ* et *Χαναβὶς* et *Χαναὰμ*, hoc post *Χάνδι*, *Χαρὰ* bis post *Χάρμης* et post *Χαρώνιον*, *Χεμβρὼν* ante *Χείριος*; *Ὠβρὼμ* ante *Ὤβρατο*, *Ὦν* ante *Ὠδαῖς*, *Ὠσὴρ* post *Ὠσχοφόρια*, *Ὠρίων* post *Ὦων*. Haec omnia et plura fortasse, quae properantem me effugerunt, prave locisque alienis, prorsus contra solemnem in Gentilibus, et indubitatis vocabulis Lexicographi hujus morem, intrusa esse, jam vides: idcircoque spuria ea et supposititia jure merito

habenda esse nemo non videat. Nam quod pauca quaedam, ut Ἀβραμιαῖος, Ἀδαμὰ, Γάγγης, Δάμασκος, Δανιὴλ, Ἐδὲμ, Εὐφράτης, Ἰὰ, Ἰάκωβος, Ἰουβὰλ, Ἰούδας, Καὶ ἐπεστήριξας, Καὶ λεπτυνῶ, Λοιμῶν, Μαριὼθ, Μάρκος, Μονιὸς, Ναζιραῖος, Νεοκόρος (corruptum pro Νεωκόρος, quod vide suo loco) Νῶε, Ῥαμὰς, Σαραφῖν, Σίκημα, Τίγρης, et si qua forte alia, suis locis rectaque serie conspiciuntur, id casu evenit; neque aliter fieri potuit, nisi non indiligentia, sed consulto et dedita opera (quod non puto, prorsusque absurdum est) Librarius ordinem conturbasset.

Sed et aliud jam vide magnum signum fraudis et falsitatis. Probe credo nosti in Codicibus MStis fine singulorum opusculorum, et in Lexicis fine singularum literarum, si quid pagi-
225 nae supererat, purum id et scripturae vacuum
fere a Librario relictum esse. Ea spatia, qui libros illos postea possidebant, alienis saepe fragmentis nihilque quicquam ad Scriptorem attinentibus complere soliti erant: quod ipse, dum Codices ejusmodi manu verso, saepe his oculis conspexi. Ad hunc morem vide quas nugas Christianus ille Hesychio suo interserit fine literae Λ, post Λώων; quod vocabulum serie utique literarum servata postremum omnium

fuerit necesse est. Ἦδος, inquit, ἱκανὸς ἐπειδὴ ὀναδαεὶ κτίστης, τῆς μηδείας etc. quae sic emendanda sunt, Μῆδος, ἱκανός· ἐπειδὴ ὁ Μαδαεὶ κτίστης τῆς Μηδίας. Vid. *Gen.* X. 2. Vult ab Hebraico מדד *mensus est*, vocabulum hoc deduci. Postea τὸ Λὼτ interpretatur; verum inde uncinis ea eximenda sunt [Ἐτυμπανίσθησαν, ἐπρίσθησαν] quae ad literam *E* pertinent, ut sane ibi habentur itidem spuria, cum extra ordinem veniant post Ἐτύμως. Deinde quod ad literam *A* referendum erat, sic digere et uncinis coerce: Ἀσπάλαξ. μῦς τυφλὸς, ὁ τὴν γῆν τρυπῶν. Pari modo fine literae *I* plura acervatim ingesta vides; et fine literae *Ω* integram habes paginam a manu aliena post Ὤων, qua voce Lexicon suum Hesychius finiebat: caetera adventitia sunt, priora a Gentili Grammatico petita, posteriora a Christiano.

Satis opinor diximus; sed ecce aliud tibi argumentum majus fortiusque. Cum librarius ille 226
(nam illud obiter notandum, unicum superfuisse Hesychii MStum Codicem, ex quo Aldinae et caeterae Editiones prognatae omnes sunt) spuria illa in Textum insereret, adeo male rem gessit, ut eadem verba legitima ante et post emblema illud novum interdum iterarit; nonnunquam in

ipso emblematis circuitu legitimum cum interpretatione sua verbum quasi captivum clauserit; est ubi mediam verbi legitimi interpretationem emblemate notho diviserit, et interruperit. *Ἀφόριος, θρασὺς, ἄπιστος* [*Ἀφωρισμένος, ἐκλελεγμένος, διακεκριμένος*] *Ἀφόριος, θρασὺς, ἄπιστος*. Bis eadem poni vides, propter illud insititium: quod et loco non suo hic conspicitur. Similiter ob spurium illud *Δραχμὴ*, loco itidem alieno, bis habes et iisdem verbis explicatum *τὸ Δρίον*: bis porro et *Ὀνοκίνδιος* ob alienum illud *Ὀνοκένταυρος*: bis denique *Σαυκρὸν* (nam mendosum est *Σαναρὸν*) quia *Σάτον* (sic lege, non *Σάτων*) mala manu intrusum erat. *Ἀπφῶ, πατρὸς ἢ διπλασία χάρις* [*Ἀπφὺς, ὁ πατήρ*] *ἢ πνεύματος ἁγίου διττὴ ἐνέργεια*. Hic verbum legitimum e Theocrito haustum in medio emblemate strangulatur. Rursus in voce *Ῥόμβος*, legitima Auctoris interpretatio malo spurioque emblemate quasi cuneo diffinditur: *Ῥόμβος, ψόφος, στρόφος, ἦχος, δῖνος, χῶνος, ξυλήφιον* (sic lege) *οὗ ἐξῆπται σχοινίον, καὶ ἐν ταῖς τελεταῖς δινεῖται* [*Ῥομε-*
227 *λίας, μετέωρος περιτομῆς*] *ἵνα ῥοιζῇ· τοῦτο αὐτὸ καὶ ἰχθύς τις τῶν πλατέων, καὶ ὁ ἐν τοῖς δεσμοῖς γόμφος*. Sic corrige, quae mendosa hodie feruntur, *ἐναροίζῃ, τοῦτο αὐτῷ*:

et verte spuriis illis sublatis: Rhombus — in initiationibus rotatur, ut strepitum edat: idem verbum et piscem notat etc. Eant nunc, qui volunt, et ipsi Hesychio haec portenta attribuant.

Quid quod eadem omnia, quae hic visuntur, ex Christianorum Lexicis, qualia plura et ego et tu vidimus, αὐτολεξεὶ traducta sunt. Sylvam horum habes in *Hieronymo* Martianaei, *volumine secundo*. Ibi omnia fere Pseudo-Hesychiana, et multo plura reperies: quorum collatione mutuum lumen interdum accenditur. Ῥομελίας, μετέωρος περιτομῆς apud Hesychium: apud alterum p. 234. Ῥομελίας, μετεωρισμὸς ἢ περιτομή: lege utrobique μετεωρισμὸς περιτομῆς רם מילה. Hesychio est Ἀβδιοὺ, Ἑρμοῦ δοῦλος ἐξομολογητός; at illi alteri p. 183. ὁ δοῦλός μου ἐξομ. Unde illud profanum Ἑρμοῦ; ex mendo nimirum natum, quippe emendandum ἑρμ'. i. e. ἑρμηνεύεται. Sed taedet ineptorum hominum commentis morari. — Vale, Vir Doctissime, et me amare perge. Dat. Londini Aug. 30, 1714. St. Vet.

15. [Ep. LXX.]

228 THE REVEREND DR. RICHARD BENTLEY TO THE RIGHT REVEREND THE ARCHBISHOP OF CANTERBURY.

MAY IT PLEASE YOUR GRACE,

'Tis not only your Grace's station and general character, but the particular knowledge I have of you, which encourages me to give you a long letter about those unfashionable topics Religion and Learning. Your Grace knows, as well as any, what an alarm has been made of late years with the vast heap of Various Lections found in MSS. of the Greek Testament. The Papists have made a great use of them against the Protestants, and the Atheists against them both. This was one of Collin's topics in his discourse on freethinking, which I took off in my short answer, and I have heard since from several hands, that the short view I gave of the causes, and necessity, and use of various lections, made several good men more easy in that matter than they were befo-
229 re. But since that time, I have fallen into a course of studies that led me to peruse many of the oldest MSS. of Gr. Test. and of the Latin too of St. Jerom, of which there are several in

England, a full 1000 years old. The result of which has been that I find I am able (what some thought impossible) to give an edition of the Gr. Test. exactly as it was in the best examples at the time of the Council of Nice. So that there shall not be 20 words nor even particles difference; and this shall carry its own demonstration in every verse, which I affirm cannot be so done of any other ancient book, Greek or Latin. So that book which, by the present management, is thought the most uncertain, shall have a testimony of certainty above all other books whatever, and an end be put at once to all Var. Lectt. now or hereafter. I 'll give your Grace the progress which brought me by degrees into the present view and scheme that I have of an new edition.

Upon some points of curiosity, I collated one or two of St. Paul's Epistles with the Alexandrian MS. the oldest and best now in the world; I was surprised to find several transpositions of words, that Mills and the other collators took no notice of; but I soon found their way was
to mark nothing but change of words; the col- 250
location and order they entirely neglected; and yet at sight I discerned what a new force

and beauty this new order (I found in the MS.) added to the sentence. This encouraged me to collate the whole book over, to a letter, with my own hands.

There is another MS. at Paris of the same age and character with this; but, meeting with worse usage, it was so decayed by age, that 500 years ago it served the Greeks for old vellum, and they writ over the old brown capitals a book of Ephraim Syrus, but so that even now, by a good eye and a skilful person, the old writing may be read under the new. One page of this for a specimen is printed in copper cut in Lamie's Harmony of the Evangelists.

Out of this, by an able hand, I have had above 200 lections given me from the present printed Greek; and I was surprised to find that almost all agreed, both in word and order, with our noble Alexandrian. Some more experiments in other old copies have discovered the same agreement: so that I dare say take all the Greek Testaments surviving (that are not *occidental with Latin*, too like our Bezas, at Cambridge) and that are 1000 years old, and
231 they 'l so agree together that of the 50,000

present Var. Lectt. there are not there found 200.

The western Latin copies, by variety of translations, without public appointment, and a jumble and heap of all of them, were grown so uncertain, that scarce two copies were alike, which obliged Damasus, then Bishop of Rome, to employ St. Jerom to regulate the best received translation of each part of the New Testament to the original Greek; and so set out a new edition so castigated and corrected. This he declares in his preface he did, *ad Graecam veritatem ad exemplaria Graeca, sed vetera;* and his learning, great name, and just authority, extinguished all the other Latin versions, and has been conveyed down to us, under the name of the Vulgate. 'Twas plain to me that when that copy came first from that great Father's hands, it must agree exactly with the most authentic Greek exemplars, and if now it could be retrieved, it would be the best test and voucher for the true reading out of several pretending ones. But when I came to try Pope Clement's Vulgate I soon found the Greek of the Alexandrian and that would by no means pary. This set me to examine the Pope's Latin by so-

232 me MSS. of 1000 years old, and the success is, that the old Greek copies and the old Latin so exactly agree (when an able hand discerns the rasures and the old lections laying under them), that the pleasure and satisfaction it gives me is beyond expression.

The New Testament has been under a hard fate since the invention of printing.

After the Complutenses and Erasmus, who had but very ordinary MSS. it has become the property of booksellers. Rob. Stephen's edition, set out and regulated by himself alone, is now become the standard. That text stands, as if an apostle was his compositor.

No heathen author has had such ill fortune. Terence, Ovid, etc. for the first century after printing, went about with 20,000 errors in them. But when learned men undertook them, and from the oldest MSS. set out correct editions, those errors fell and vanished. But if they had kept to the first published text, and set the Var. Lections only in the margin, those classic authors would be as clogged with variations as Dr. Mills' Testament is.

Sixtus and Clemens, at a vast expence, had
an assembly of learned divines to recense and
adjust the Latin Vulgate, and then enacted
their new edition authentic; but I find, though 233
I have not discovered any thing done *dolo malo*, they were quite unequal to the affair. They were mere *Theologi*, had no experience in MSS. nor made use of good Greek copies, and followed books of 500 years before those of double that age. Nay I believe they took these new ones for the older of the two; for it is not every body that knows the age of a MS.

I am already tedious, and the post is a going. So that to conclude — In a word, I find that by taking 2000 errors out of the Pope's Vulgate, and as many out of the Protestant Pope Stephens', I can set out an edition of each in columns, without using any book under 900 years old, that shall so exactly agree word for word, and, what at first amazed me, order for order, that no two tallies, nor two indentures can agree better.

I affirm that these so placed will prove each other to a demonstration: for I alter not a letter of my own head without the authori-

ty of these old witnesses. And the beauty of the composition (barbarous, God knows, at present), is so improved, as makes it more worthy of a revelation, and yet no one text of consequence injured or weakened.

234 My Lord, if a casual fire should take either his Majesty's library or the king's of France; all the world could not do this. As I have therefore great impulse, and I hope not ἀθεεὶ to set about this work immediately, and leave it as a *Κειμήλιον* to posterity, against Atheists and Infidels: I thought it my duty and my honour to first acquaint your Grace with it; and know if the extrinsic expence to do such a work compleatly (for my labour I reckon nothing) may obtain any encouragement, either from the Crown or Public.

I am, with all duty and obedience,
Your Grace's most humble servant,

Ri. Bentley.

Trin. Coll.
April the 15th. 1716.

16. [Ep. LXXI.] 235

THE REVEREND DR. RICHARD BENTLEY TO THE RIGHT REVEREND THE ARCHBISHOP OF CANTERBURY.

Trin. Coll.
Sunday Evening.

May it please your Grace,

This minute I had the honour of your Grace's letter; indeed when I saw by the prints that your Grace was in full Convocation, and had addressed his Majesty upon so just an occasion, and consequently was immersed in business of the highest importance; I condemned myself, that I should be so immersed here in books, and privacy, as not to know a more proper occasion of address to your Grace. On a due consideration of all which, I gave over expecting any answer, and designed to wait on you in person, when I came to London, where already my family is. But I see your Grace's goodness and public spirit is superiour to all fatigues; and therefore I thank you particularly for this present favour; as what was (justly) above my expectation. The thought of 236
printing the Latin in a column against the

Greek (which your Grace puts to the common) I doubt not is your own. My Lord, it is necessary to do so: and without that, all my scheme would be nothing. It was the very view, that possessed me with this thought which has now so engaged me, and in a manner inslaved me, that *vae mihi*, unless I do it. Nothing but sickness (by the blessing of God) shall hinder me from prosecuting it to the end. I leave the rest to the time of the Westminster election: with my hearty prayers and thanks, being

Your Grace's most obedient
And obliged humble Servant
Ri. Bentley.

I was told, a month ago, that your Grace (when you was at Paris) had made a whole transcript of the Clermont copy, Greek and Latin, which I hope is true.

17. [Ep. LXXII.]

237 THE REV. DR. BENTLEY TO — —

Trin. Col. Jan. I, 17$\frac{16}{17}$.

Sir,

Yours of December the 20th came safely to my hands, wherein you tell me from com-

mon fame, that in my designed edition of the New Testament, I purpose to leave out the verse of John's Epistle I. chap. 5. v. 7.

About a year ago, reflecting upon some passages of St. Hierom, that he had adjusted and castigated the then Latin Vulgate to the best Greek exemplars, and had kept the very order of the words of the original: I form'd a thought, *à priori*, that if St. Jerom's true Latin Exemplar could now be come at, it would be found to agree exactly with the Greek text of the same age; and so the old copies of each language (if so agreeing) would give mutual proof, and even demonstration to each other. Where upon rejecting the printed editions of each, and the several manuscripts of seven centuries, and under, I made use of none but these of a thousand years ago, or above, (of which sort I have 20 now in my study, that one with another make 20,000 years.) I had the pleasure 238
to find, as I presaged, that agreed exactly like two tallies, or two indentures; and I am able from thence to lead men out of the labyrinth of 60,000 various lections; (for St. Jerom's Latin has as many varieties as the Greek) and to give the text, as it stood in the best

copies, in the time of the Council of Nice, without the error of 50 words.

Now in this work I indulge nothing to any conjecture, not even in a letter, but proceed solely upon authority of copies, and Fathers of that age. And what will be the event about the said verse of John, I myself know not yet; having not used all the old copies that I have information of.

But by this you see, that in my proposed work, the fate of that verse will be a mere *question of fact.* You endeavour to prove, (and that's all you aspire to,) that it *may* have been writ by the Apostle, being consonant to his other doctrine. This I concede to you; and if the fourth century knew that text, let it come in, in God's name: but if that age did not know it, then Arianism in its height was beat down, without the help of that verse: and let the *fact* prove as it will, the *doctrine* is unshaken.

Yours,

Ric. Bentley.

18. [Ep. LXXIII.] 239

LA CROZIO RICHARDUS BENTLEIUS.

Nescio, vir eruditissime, an ad aures tuas forte pervenerit, me novae Novi Testamenti editioni operam dare, et ea causa pleraque per Europam, quae mille annos habeant, tam Graeca, quam Latina exemplaria consuluisse. Cum autem in illis non postremum locum occupet codex Evangelii Sti. Johannis Graecus in bibliotheca Beroliniensi; de quo vir doctissimus D. Jablonskius mentionem facit, in sua ad Hebraica Biblia praefatione; hujus variantes lectiones, si in marginem alicujus libri editi transcribi curaveris, mihique per legatum regium, vel alium quemvis mitti, magnâ me voluptate affeceris, et grata mente ad posteros transmittenda. Velim autem ut hunc ad modum fiat collatio: Johan. XVII. 16.

σιν *Ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ εἰΣΙ, καθὼς ἐγὼ*[3]
12345 *ἐκ*[4] *τοῦ κόσμου*[5] *οὐκ*[1] *εἰμι*[2]. *Ἁγίασον αὐ-*
del. *τοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ (σου) ὁ λόγος*
στιν *ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι.*

Ubi codicis Alexandrini variationes habes, 240
sic a me in libri margine descriptas, ut et ordo verborum, et singula, quae vel deficiunt vel

superant vel variant, nullo labore oculis obversentur. Ceterum si hoc negotii in te susceperis, ita (sat scio) diligenter in eo versaberis, ut (quod in praefatione fieri necessum erit) auctorem te ejus collationis esse literato orbi praedicare possim. *Londini* 4 *Jul. st. vet.* 1721.

19. [Ep. LXXIV.]

THE REVEREND DR. BENTLEY TO DR. MEAD.

Worthy Sir,

I return you my hearty thanks for your kind present of the Sigean Inscription, illustrated with the learned and elaborate commentary of the Rev. Mr. Chishull. I read it last night before I went to bed; and upon the perusal I was confirmed in the opinion, that I told you I had, on the first view of it. I make bold to give you my reasons; which (if you think
241 fit) you may communicate to the learned editor, with my thanks and service.

Mr. Chishull tells us (p. 3.) that the less inscription is wrote on the upper part of the stone, not on the side as in the edition. I shall give it therefore in common alphabet thus:

1) φανοδικο
εμι το ρμοκ
ρατιος το

προκοννη
σιο κρητηρ
α δε και υποκ
ρητηριον κ
αι ηθμον: ες π
ρυτανηιον
εδωκεν συκε
ευσιν.

N. B. Here in the first inscription occur two not original Cadmean letters, *H* and *Ω*.

2) *Φανοδικο: ειμι: το Η* 242
ερμοκρατος: το προκο
νεσιο: καγο: κρατερα
καπιστατον: καὶ Ηεθμ
ον: ες πρυτάνειον: κ
δοκα: μνεμα: σιγευ
ευσι: εαν δε τι πασχ
ο μελεδα: ινεν εο
σιγειες: και μεπο
ιεσεν Η αισοπος
και Η αδελφοι

N. B. All Cadmean letters, no *H* or *Ω*, *H* is the Latin H aspirate.

Of the first inscription both the reading and interpretation is easy: and Mr. Chishull has

given it right. Phanodici sum Hermocratis F. Proconnesii: Craterem autem et Basin et Colum ad Prytaneum dedit Sigeensibus. Phanodici, i. e. δῶρον donum: I am the gift or present of Phanodicus, who gave three vessels, a Crater, a Bason, and a Strainer, for the use of the Prytaneum.

This inscription, as I take it, was engraved on one of those three vessels: and either at first was transcribed upon this stone, to make
243 the benefaction known to the commonalty without door, or else afterwards, when the vessels might be old, and new cast, to continue the memorial of it.

The second inscription, I conceive, was engraved on another of these vessels: but there's much more difficulty in reading and distinguishing that, than the former. But it's plain, there's mention of the same present, as in the other: a Crater, a Bason, or Stand, and a Strainer: only what in the first is called ὑποκρητήριον is here called Ἐπίστατος. This (if you suppose with me to be engraved on the vessels) was prudently done; for one of them might be worn out or lost before the other; and the same guest, though none was lost, might not

look on them all. So that the memory of the benefaction was more secured, by repeating the whole gift on each vessel.

I read and distinguish the second inscription thus: *Φανοδίκου εἰμὶ τοῦ Ἑρμοκράτους τοῦ Προκονησίου κἀγώ.* Et ego sum (donum) Phanodici Hermocratis F. Proconesii. This I take it was engraved upon the second vessel; and by *κἀγώ* (and I too) indicates both itself and the other.

It follows in the inscription: *κρατῆρα κἀπίστατον καὶ ἡθμὸν ἐς Πρυτανεῖον κδωκα μνῆμα σιγειεῦσι.* As in other places of this in- 244
scription, and many others, both Greek and Latin, there's a plain blunder of the stonecutter: *κδωκα* for *εδωκα*; and the necessity of the sense obliges us to charge him with another blunder in this same word, *ἔδωκα* for *ἔδωκε*, as in the former inscription. If he had not made *κ* for *ε*, I should have suspected he made it in the first person *εδωκα*; because he might take *κἀγώ* to belong to the latter clause and not to the first. But the egregious negligence in making a consonant for a vowel prevents this conjecture.

It follows, Ἐὰν δέ τι πάσχω μελεδα ινεν εο σιγειες. Between ινεν and εο one letter is worn out in the stone; that is not hard to be supplied, and I read it thus: Ἐὰν δέ τι πάσχω, μελέδα ἵν' ἐνδέω σιγειεσι: Si quid autem (detrimenti) passus fuerit, cura (erit) ubi opus habeam Sigiensibus. Μελέδη (Aeolice Μελεδα) is in this sense used by Hippocrates: and ἵν' ἐνδέω is known and common Greek, and comes most pat to the sentence. The graver seems to have missed the Ιωτα in σιγειες: but it may be read σιγειεῖς in the nominative case: remedium (erunt) Sigeenses. The last clause is: καί μ' ἐποίησεν αἴσωπος καὶ ἀδελφοί. Et fecit me Aesopus et Fratres. This well agrees with the three vessels, if we suppose these inscriptions engraved on them. Aesop, a silver-
245 smith or brazier, and his two brothers, made each of them one of them.

I shall now consider Mr. Chishull's explication, where it differs from my own. He supposes this stone to have been the basis to a statue of Phanodicus: that this inscription is spoken as in the person of Phanodicus: that the inscription was at first but one, the lower of the two: the upper being an interpolation of the lower, wrote many years after it, and

adapted to the writing and language of that respective recenter age.

Now, in the first place, there are no footsteps left of this supposed statue, 'tis mere conjecture, and if it arises not from the matter of the inscription, it has no basis to support it. Indeed a statue has nothing to do with a Prytaneum; a hall, a dining room for the magistrates and strangers of note, where there was good cheer at the public charge. Mr. Chishull, in his learned notes, has shewed this, and a whole book might be writ about it. Besides a statue is quite disproportioned to so small a benefaction as three vessels for drinking, which probably were but of copper.
Add, that in those early days when this inscrip- 246
tion was made, statuaries were either none or very few, especially in so mean a town as Sigeum.

That the upper inscription should be perhaps a whole age junior to the lower is improbable at first thought. If one's younger than the other, surely the lower. Would any one leave the upper, the conspicuous part of the stone bare; and write the inscription at the bottom, to be fouled by the soil, and covered by the nettles?

But above all, the improprieties of stile, if the inscription is spoken of Phanodicus, or his statue, most shocking and indefensible.

Φανοδίκου εἰμί. I am (the statue) of Phanodicus. In the absence from my books I will not be positive, but I believe there's not an instance of that to be found. It should be in the nominative *Φανόδικός εἰμι:* as *χαλκῆ παρθένος εἰμί.* quoted by Mr. Chishull and many more in the Anthologia Epigr. The genitive case in such inscriptions on basises denotes the artificer as *ΛΥΣΙΠΠΟΥ*, not the person resembled by the statue.

It goes on; I am the statue of Phanodicus, *κἀγὼ ἔδωκα.* And I gave three vessels to the Prytaneum. What! The statue gave the vessels? Tell us not so, for common sense's sake.
247 And yet take notice, if the upper shorter inscription is not allowed to be original and coeval to the lower, this construction is necessary, and *κἀγώ* must needs be referred to the following clause, and not, as I have done it, to the preceding. Mr. Chishull is sensible enough of this gross absurdity of speech: but he, out of fondness to his inscription, being willing to make the famous Aesop the statuary here, would palliate the flaw with a *more prorsus Aesopico,*

as if Aesop made both statue and inscription too. But it will not do. Though beasts, and trees, and pots speak in Aesop's Fables, yet even Aesop's beasts talk with more propriety, than their master is supposed to do here.

I can scarce think Mr. Chishull in earnest, when he would do such honour to this supposed statue. Aesop was not statuary, he is not said to have had *'Αδελφοὶ* any brothers. It 's singular and without examples, that three artificers should be ascribed to one statue: nor can *'Αδελφοὶ* ever be allowed to mean no more than *Συνεργοί*.

Well: if the statue is turned to Phánodicus himself, when he tells us he gave the vessels, yet in the next clause he's a mere statue again: If any mischance, says he, happens 248
to me, the Sigeans are to mend me: I was made by Aesop and his brethren. And yet he speaks like a pot more than a statue; for if a statue is defaced it cannot be mended, but a new one must be made. But a pot bruised or cracked may easily find a doctor.

Mr. Chishull reads those words thus: *'Εὰν δέ τι πάσχω μελεδα, ἴνειν: [ἐῶ] σιγειεῖς.* But he finds great difficulty in accounting for the

dot and space in the middle of *μελεδα. ινειν.* He dislikes also *ἐῶ*, sino; because then there's a letter erased and not accounted for. He prefers therefore *ἐρέω*, dicam, jubebo: but he does not reflect that this way he makes a letter *ε* too much. Besides that allowing *ἐρέω*, it must not be *σιγειεῖς*, but *σιγειεῖσιν* or *σιγειέσιν*. I cannot but think he 'l allow my *ἶν' ἐνδέω* to be true and certain.

The difficulties that induced Mr. Chishull to think the upper inscription more recent than the other, and to be an interpolation of it, are these: that the letters *H* and *Ω* are there, but in the lower in their stead *E*, *O*: that it's *ὑποκρητήριον* in the upper, but in the lower (a word he says unheard of to us) *ἐπίστατος*. Now both the differences of writing and of that word are easily accounted for in my ex-
249 plication. For the two inscriptions are transcripts from the engravings on two vessels made by different artists; each of which spelt and spoke his own way.

Ἐπίστατος is not so unknown a word: we read in Aristophanes *τοῦ 'πιστάτου*, that is, *τοῦ ἐπιστάτου*: whose nominative some of the old grammarians make *ἐπιστάτης*, ande some *ἐπί-*

στατος. It certainly means in the poet some household vessel; and why not the same as in the inscription? The Scholiasts knew not what it was, as their various interpretations shew. *Ἐπίστατος* therefore we have, but the other word *ὑποκρητήριον*, which is supposed the more recent, is, except in this inscription, wholly I suppose unknown. It's no wonder to me at all, that the very same day, the very same vessel might be called by one tradesman *ὑποκρητήριον*, and by another *ἐπίστατος*: each name being made by workmen, when that form of vessel was invented; and both taken from the use of it, according to the different ideas of standing on and supporting.

The other difficulty is *H* and *Ω*, which appearing in the first inscription, seems to derogate from the antiquity of this monument, if it be not supposed to be recenter than the other. But in my explication there's no fear of that.

If one writ *η* and *ω*, and the other work- 250
man *ε* and *ο*; it proves that it was just upon the invention of those long vowels, before the new orthography was settled. Nor need we suppose that Simonides first found out those letters,

but first carried them to Athens; which in that place would entitle him to the invention. *Ἑρμοκράτεος* and *κρητῆρα* are full as old as *Ἑρμοκράτους* and *κρατῆρα:* and *πρυτανήιον* in the former older than *πρυτανεῖον* in the latter: if it be writ *πρυτανεῖον;* and not *ε* for *H*, *πρυτανήιον*. I in *ηιον* may be either pronounced and make a syllable; or be adjunctum (that is, *ἰῶτα* subscriptum) in the Aeolian manner; as I remember these two verses of Sappho in Hephaestion:

Ἦρ' ἔτι Δινομένει τῷ Τυῤῥακήῳ
Τ' ἄρμενα λαμπρὰ κέατ' ἐν μυρσινήῳ.

. . . .

Nay, to me, though both workmen seem illiterate enough, the one having *συκεεῦσι*, the other *σιγευεῦσι*, neither words grammatically spelt; yet the engraver of the latter seems the more ignorant. He *ἐπόεισε*, and *αἴσοπος*, *ἀδελφὸς*, *ἡθμὸς* aspirate; the former has *ἠθμὸς* with a lene. Mr. Chishull would mend our present orthography, and from this authority would have us henceforward read and write
251 *ἡθμὸς* and not *ἠθμός*. But we must correct then twenty authors who have it in the compound *ἀπηθεῖν* and *ἀπήθημα;* and not (as the aspirate would require it) *ἀφηθεῖν* and *ἀφή-*

ϑημα. And so it is *αὐτάδελφος* and not aspirate *αὐϑάδελφος*. The latter's ignorance too appears in the making the same position of *σίγμα* in both lines of the *Βουστροφηδον*, thus Z: whereas in one it ought to be ϟ, and in the other ≷.

Sir,

I have writ too much for an extempore remark, and too little for an accurate discussion, if I was amongst my books. If you shew it to Mr. Chishull pray let it go no further; nor bring me into a public dispute. I'll dispute with nobody about nothing; much less about this with a person for whose great learning I have so just respect, and whose labours in hand I wish so well to.

I'll add one remark, because here's paper yet to spare.

Monsieur Tournefort brought out of Greece a short inscription on a basis at Delos, on which formerly stood a Coloss statue of Apollo; the letters are of the same form with our 252
Sigean monument; in present letters thus:

οα Fυτο λιϑο εμ ανδριας και τ οσφελας,
Father Montfaucon reads it thus:

Ἐν τῷ λίθῳ εἰμὶ ἀνδριὰς καὶ τὸ σφέλας.

In lapide sum statua et basis.

This is justly censured by Mr. Chishull, as both varying from the original and void of all good sense.

Mr. Chishull goes exactly to the letters, and reads thus:

οὐ αὐτοῦ λίθου εἰμὶ ἀνδριὰς καὶ τὸ σφέλας.

Non sum ejusdem lapidis et statua et basis.

But with all submission, even this sense seems too low, and not worthy to be said to all spectators. For what wonder that the statue and basis should be of different stones; when in the greater statues 'twas scarce ever otherwise, the statue being fix'd and solder'd to the base. I 'll try my hand at it, and shall keep exactly to the letters; only beg leave to suppose a *Ταυ*, which in above 2000 years may have been worn out at the beginning.

253 I read, *Τοῦ αὐτοῦ λίθου εἰμὶ ἀνδριὰς καὶ τὸ σφέλας.*

Ex eodem lapide sum statua et basis.

That is, to the then pronunciation, and in the now orthography,

Ταὐτοῦ λίθου εἰμὶ ἀνδριὰς καὶ τὸ σφέλας.

Which is a true Jambic verse, and that establishes the correction. This indeed was worth telling; to be both of the same stone, in a Coloss, was both costly and extraordinary.

20. [Ep. LXXV.] *)

ILLUSTRI ET ERUDITISSIMO VIRO
RICHARDO MEAD
AMICO SUO SINGULARI S. P. D.
RICHARDUS BENTLEIUS.

Redit ad te, virorum optime, Nicander tuus ex editione doctissimi Gorraei; quam e divite quidem Tua, sed eleganti tamen et non quorumvis librorum bibliotheca, mihi nuper suppedi- 254
tasti. Sed nae tu homo facetus, et si dicere fas est, nimium urbanus es, qui scriptorem medicum, ἰητρῶν olim ὄχ' ἄριστον, sed longi jam aevi injuriis *Αὐτὸν ἕλκεσι βρύοντα*, mihi professione Theologo medicandum et emendandum commisisti. Ipse omnium medicorum sine controversia princeps, qui unus et poteras, et debebas ὁμοτέχνῳ tuo Nicandro manum medi-

*) Nicandri Theriaca cum emendationibus Bentleji praefixaque hac epistola edita sunt in Mus. Crit. Cantabr. a 1814. No. III. p. 370. sqq., unde in suos usus convertit Schneiderus in ed. Theriacorum. Lips. a. 1816. *FR.*

royal answer given to te College, I could (had I pleas'd) have made myself Vice-Chancellor, in spight of all their posse. But at present several neuters are in uncertainty, apprehensive that we act without commission, reproach'd as beggars of preferment, but our performances slighted. Come, I have long known you to be a honest, public-spirited, and a hearty lover of the government and learning; make use of this account to the public good, prevent Jacobite principles in our youth; and *Hicksian* doctrines in our schools: and let's hear what sentiments you have, what endeavours you make; and pray extend your Spartan jejunity to the length of a competent letter.

I am
Your affectionate Friend and Servant,
R. Bentley.

For the Rev. Dr. Clarke,
at his House near
St. James's Church,
London.

23. [Ep. LXXVIII.] 262

CLARISSIMO VIRO ET JUCUNDISSIMO AMICO SUO
JO. JACOBO WETSTENIO S. P. D.
RICHARDUS BENTLEIUS.

Literas tuas accepi, Basileae datas VII. Jan. 1718, pro quibus gratias tibi ago quam maximas. Eodem die quo eas acceperam scripsi ad Cognatos tuos Wetstenios Amstelodami, ut Codicem illum Paulinarum Epistolarum Graeco-Latinum mihi venundarent, quo vellent pretio aestimandum. Illi statim rescripserunt, sibi librum illum constitisse 250. florenis Hollandicis, sed ob beneficia a me partim accepta partim adhuc sperata se eodem pretio sine ullo lucro mihi vendituros. Misi igitur illis eam nummorum summam Amstelodamum, et librum intra paucos dies expecto. Beasti ergo me, ut vides, cum illo tuo nuncio: et si quid ejusmodi veterrimae notae in aliis regionibus Tibi innotuerit, quaeso ut me facias certiorem. Gratissimum est, quod Correctiones Bibliae descripsisti: vix tamen crediderim eundem esse auctorem cum Lucae Brugensis illo, quem Epa- 263
northoten vocat. Magno sane emerim, ipsum illum Lucae librum nancisci: nam et longe optimus est, et, ut nosti, Lucas in notandis

Lectionibus ultra 4. Evangelia non procedit. Opus est mihi igitur Lectionibus quae supersunt, ad Acta et Epistolas. Quod in Reuchlini codice jam occupatus sis, gaudeo: etsi aetatem ejus non memoraveris. — Jam autem illud unice expeto, ut si quos Latinos veteris notae Actuum, Epistolarum, et Apocalypseos Codices apud vos repereris, eos accuratissime tam ad verba quam ad verborum ordinem cum Papae editione conferas: hujusmodi Latinos veterrimos vel Graecis ipsis praetulerim: In Evangeliis autem tam uberem MSS. copiam penes me habeo, ut nihil amplius optem. Vale et me ama. Dabam Cantabrigiae, X. Julii, 1718.

24. [Ep. LXXIX.]

264 THE REV. DR. BENTLEY TO SIR HANS SLOANE.

Trinity College,
Whitsunday Evening, 1728.

Sir,

Mr. Wrichman, a gentleman of Hamburgh, who has been many times at my house, both here and at London, has been recommended to you as a fit person to be admitted of our Royal Society. Mr. Derham has given his re-

quest, as one; and according to our Statutes, a second is to do the like. If you 'l accept of me therefore as that second, I do sincerely recommend him to you, as a fit member; having found him to be a gentleman of good learning and (at home) of celebrated wit; and what is no less to your purpose, both of a general acquaintance and interest in all Germany, and of equal candour and good nature to make use of them for our Society. These
qualities will be useful to a Society, which can- 265
not subsist without foreign correspondence.

I am your very humble Servant,

Rich. Bentley.

For the Honour'd
Sir Hans Sloane
in
London.

266 25. [Ep. LXXX.]

RICARDUS BENTLEIUS AD — —

EPIGRAMMA IN STATUAM JOVIS URII APUD CHISH. ANTIQ. ASIAT. P. 59. EMENDATUM. *)

ΟΥΡΙΟΝ ΕΚ ΠΡΥΜΝΗΣ ΤΙΣ ΟΔΗΓΗΤΗΡΑ ΚΑΛΕΙΤΩ
ΖΗΝΑ ΚΑΤΑ ΠΡΟΤΟΝΩΝ ΙΣΤΙΟΝ ΕΚΠΕΤΑΣΑΣ
ΕΙΤ ΕΠΙ ΚΥΑΝΕΑΣ ΔΙΝΑΣ ΔΡΟΜΟΣ ΕΝΘΑ ΠΟΣΕΙΔΩΝ
ΚΑΜΠΥΛΟΝ ΕΙΛΙΣΣΕΙ ΚΥΜΑ ΠΑΡΑ ΨΑΜΑΘΟΙΣ
ΕΙΤΕ ΚΑΤ ΑΙΓΑΙΗΝ ΠΟΝΤΟΥ ΠΛΑΚΑ ΝΟΣΤΟΝ ΕΡΕΥΝΑ
ΝΕΙΣΘΩ ΤΩΔΕ ΒΑΛΩΝ ΨΑΙΣΤΑ ΠΑΡΑ ΞΟΑΝΩ

ΩΔΕ ΤΟΝ ΕΥΑΝΤΗΤΟΝ ΑΕΙ ΘΕΟΝ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΠΑΙΣ
ΣΤΗΣΕ ΦΙΛΩΝ ΑΓΑΘΗΣ ΣΥΜΒΟΛΟΝ ΕΥΠΛΟΙΗΣ.

Οὔριον ἐκ πρύμνης τὶς ὁδηγητῆρα καλείτω
Ζῆνα, κατὰ προτόνων ἱστίον ἐκπετάσας.

---

*) V. Jacobs. in Anthol. Gr. Nov. palat. Not. T. II. p. 947. *FR.*

Εἴτ' ἐπὶ Κυανέας δίνας δρόμος, ἔνθα Ποσειδῶν
Καμπύλον εἱλίσσει κῦμα παρὰ ψαμάθοις·
Εἴτε κατ' Αἰγαίην πόντου πλάκα νόστον ἐρευνᾷ,
Νείσθω, τῷδε βαλὼν ψαιστὰ παρὰ ξοάνῳ.

Ὧδε τὸν εὐάντητον ἀεὶ θεὸν Ἀντιπάτρου παῖς
Στῆσε Φίλων, ἀγαθῆς σύμβολον εὐπλοΐης.

„Urium e puppe quis viae ducem invocet 267
„Jovem, cum rudentibus velum expandit.
„Seu ad Cyaneos vortices cursus *sit*, ubi Neptunus
„Curvum volvit fluctum ad arenas *littoris*,
„Seu per Aegei maris aequor reditum quaerat,
„Proficiscatur, cum ad hanc fuderit liba statuam.

„Hic propitium semper Deum Antipatri filius
„Posuit Philo, secundae signum navigationis."

Urion inclamato Jovem comitemque ducemque
Navita, cum Ventis pandere vela parat.
Sive ad Cyaneas immani in vortice petras
Tendat, ubi horrificis aestibus unda fremit;

Sive iter Aegaei scopulosa per aequora tentet,
Tutus, ubi huic Statuae liba sacrarit, eat.

Huncce Deum hic posuit nautis laetabile signum,
Praesidiumque Philo, Filius Antipatri.

NOTAE.

Vers. 3. *Εἴτ᾽*] *Whelerus*, de versu parum sollicitus, voculam hic in marmore scriptam praetermittit: *Sponius* autem ἐστ᾽ exhibet; quod
268 tamen loco minus convenit. Chishullus igitur mutata litera legit εἶτ᾽, i. e. εἶτα, *tum*, et recte quidem, quod ad literam attinet, sed ad Poetae mentem accommodatius mihi videtur εἴτ᾽, *sive*, ut sit εἴτε δρόμος ἐστὶ (vel ᾖ) i. e. *sive cursum instituat;* cui consonat εἴτε νόστον ἐρευνᾷ versu 5to. Nempe nautae prosperum utroque versu iter pollicetur, seu in Euxinum, seu contra in Aegaeum navigare velit.

Vers. 5. *Εἴτε*] Apte hoc respondet superiori εἴτ᾽. Atque ita hic legendum esse ostendit plane *Sponius*, qui male notatis literarum ductibus ineptum illud *EIIE* pro *EITE* exhibuit. *Whelerus* vero non satis certus Antiquitatis auctor, legit εἶτα, quod *Chishullus* iterum male arripit, et praeter Poetae mentem perperam hoc

distichon Latine reddit, *Tum reditum Aegaei meditans;* — nam qua, quaeso, meditatione, quove Dei ductu Nauta, qui a Iovis Vrii Fano ad Symplegadas profectus est, ad idem *tum* Fanum per Aegaeum redire possit? Mecum vero facit ipse *Chish.* not. 4.

Ib. *νόστον*] *Reditum*, proprie: hic autem *συνεκδοχικῶς* totum iter, prorsum, rursum denotat. Sic *νέεσθαι*, unde *νόστος* utrumque *ire*, *redire*, significat; quin et *νοστῆσαι* interdum (ut in *Hom. Od. ό.* 119. notat *Eustathius*) pro *ἁπλῶς ἐλθεῖν* ponitur. Antiqui certe *Νόστων* Scriptores sub eo titulo non reditum tantum, sed totam ab initio navigationem complecteban- 269
tur. Sic apud *Apollonium* Feminae prosperum Argonautis iter universum a Diis precantes, *νόστου* solum meminerunt,

Εὐχόμεναι νόστοιο τέλος θυμηδὲς ὀπάσσαι. Arg. I. 249.

Ita et Mulieres Lemniae pro iisdem Argonautis vota faciebant,

Εὐχόμεναι μακάρεσσιν ἀπήμονα νόστον ὀπάσσαι. Ib. 884.

Uno sc. isto verbo, *νόστον*, itum aeque ac reditum comprehendentes: idem enim Iasoni mox explicatius vovet Hypsipyle,

Νείσεο, καί σε θεοὶ σὺν ἀπήμοσιν αὖτις ἑταίροις
Χρύσειον βασιλῆϊ δέρος κομίσειαν ἄγοντα. Ib. 888.

Quin et *Euripides* in *Rheso*, 427. ejus e Thracia ad Trojam profectionem solum *νόστον* appellat; nunquam enim Rhesus rediit, a Diomede ibi interfectus. Hom. Il. *κ.* 495.

Ib. *ἐρευνᾷ*] Sic lego, auctore *Sponio*, qui e marmore descriptum exhibet *ΕΡΕΥΝΑΙ*, cum *τῷ Ι* scilicet, prisco more, post *α* adjecto, quod in *ἰῶτα* postea subscriptum transiit. Sic *ΤΙΜΑΙ* olim scriptum pro hodierno *τιμᾷ*, *ΑΠΠΙΑΙ* pro *Ἀππίᾳ*, et (ut in re notissima pluribus supersedeam) hoc ipso in Epigrammate v. 6. *ΤΩΙΔΕ ΞΟΑΝΩΙ* pro *τῷδε ξοάνῳ*. Miror igitur hoc *Sponio*, viro Antiquitatis studioso, in mentem non venisse: atque mirandum sane magis erit, si (quod ejus Versio indicare videtur) hic legerit *ἐρεῦναι*, quasi esset Aor. I. Optat. cum ab *ἐρευνάω* ibi non *ἐρεῦναι*, sed *ἐρευνήσαι* formetur. *Whelerus* autem, quem sequitur *Chishullus*, habet *ἐρεύνων* (l. *ἐρευνῶν*) quod non satis apte convenire videtur cum versu tertio; atque rectius, opinor, legisset *ἐρευνῷ*, sc. *εἴτε δρόμος γένοιτο, εἴτε νόστον ἐρευνῷ.* Sed omnino retinendum arbitror *ἐρευνᾷ*.

Vers. 6. *νείσθω.*] *Proficiscatur*, fidenter *eat.* *Νείσθω, πορευέσθω.* Schol. in *Hom.* Iliad. *γ.* 159. et al. saepe.

Οὐδ' ἐπὶ νηῶν

Νείσονται. Hesiod. *Ἐργ. καὶ Ἡμ.* 274.

Νεῖσθαι, πορεύεσθαι. Hesych. Sic *Apollonius* supra *νείσεο proficiscere.* *Chishullus* male vertit *fac redi*, pro *fac redeas*, seu potius, *redeat;* *νείσθω* enim est tertiae personae, et nautam quemlibet designat. Sic versu primo *τὶς καλείτω.* Sed quorsum Nautae, ut redeat, praecipis, cui nihil magis in votis est, quam ut incolumis redeat? *νείσθω* vero, ut ante dixi, sonat hic *eat* vel *pergat.*

Ib. *βαλὼν ψαιστὰ*] Hoc post reditum fieri vult *Chishullus:* ego vero ante iter inceptum; Nauta nempe, invocato Ioue, haec ei 271
ψαιστὰ, tanquam *ἐπιβατήρια* offerre iubetur, ut *σὺν θεῷ* saluus ire redireque possit. Sic apud *Apollonium* Iason nauem conscensurus Apollinem inuocat,

Αὐτὸς νῦν ἄγε νῆα σὺν ἀτρεμέεσσιν ἑταίροις
Κεῖσέ τε καὶ παλίνορσον ἐς Ἑλλάδα.

Arg. I. 415.

Deinde manu tenens *οὐλοχύτας* dicit,

Νῦν δ' ἴθι καὶ τήνδ' ἡμὶν, Ἑκηβόλε, δέξο θυηλὴν,
Ἥν τοι τῆσδ' ἐπίβαθρα χάριν προτεθείμεθα νηός.

His autem dictis, sacra confestim porrigit

Ἦ, καὶ ἅμ' εὐχωλῇ προχύτας βάλε.

Huiusmodi vero *προχύται*, *οὐλοχύται*, *ψαιστὰ* etc. etsi victimarum fere *προθύματα* erant, saepe tamen, ut hic Jovi, per se sola Diis offerebantur, ob iter sc. terra marive faciendum, aut eiusmodi alia de causa. Nam sicut libaminum (notante Eustathio) sic et horum erat *καιρὸς, οὐ μόνον ὁ κατὰ τὴν θυσίαν, ἀλλὰ καὶ ὁ κατ' ἀρχὴν ὁδοιπορίας, καὶ ἀπόπλου* etc. in *Hom. Il. α.* 462. In eo igitur errasse videtur Vir do-
272 ctissimus, quod verbum *νείσθω* de reditu tantum intelligi posse existimaverit, atque idcirco judicaverit rerum seriem eodem ordine procedere, quo stant in versu verba. At hic, nisi fallor, verus est verborum ordo, *βαλὼν ψαιστὰ τῷδε ξοάνῳ, νείσθω, oblatis libis huic Statuae, pergat ire.*

Ib. *παρὰ ξοάνῳ*] Turpiter hic hallucinati sunt Antiquarii ambo: quorum alter, orthographia metroque repugnantibus, legit *παρὰ τῷ*

ζωάνῳ, alter multo peius παρὰ τῷ. ἄνω (Lat. *superne*) quod nec Graeci sermonis ratio, nec res ipsa patitur. Eorum utrique, ut opinor, erroris causam praebuit prisca literae ξ forma non satis intellecta (de qua vide *Montfauc. Palaeogr.* p. 153, 185, 233, 336.) Utcunque vero ea se res habeat, certissima est haec sagacissimi *Chishulli* emendatio, παρὰ ξοάνῳ, quam et sequens distichon confirmat, et metri ratio plane postulat.

V. 7. ὧδε] Uterque hic Antiquarius exhibet ὅδε, nulla metri ratione habita, quod τόνδε potius exigit. Rectissime vero Vir acutissimus correxit ὧδε, etsi minus recte, *qua*, Latine reddidit, sc. *qua posuit*, pro *hic*, vel, *hoc in loco posuit.* Ὧδε, ἐνταῦθα. Hesych. Ὧδε: ἀντὶ τοῦ ἐνθάδε. Suidas, qui et exemplis rem demonstrat.

V. 8. στῆσε Φίλων] Statuarius scilicet. Sic *Demetrius* in Myronis Buculam,

Ὧδε Μύρων μ᾽ ἔστησε τὸ βοίδιον. Anthol. IV. 7.

et *Argentarius* ibid. 273

Ὁ πλάστης ὧδέ μ᾽ ἔδησε Μύρων.

Idem vero fortasse fuit hic Philo, atque ille, quem inter nobiles Statuarios numerat *Plinius*

XXXIV. 8. quique a *Tatiano* in *Orat. ad Graecos* laudatur p. 21. Ed. Oxon.
6to Cal. Maii, 1729.

HIS ITA RESPONDET E. C. *)

Gratias ago huic doctissimo, quicunque is fuerit, Aristarcho, et, quoad *τὸ ΕΙΤΕ* bis, loco *τοῦ ΕΙΤΑ*, reponendum, emendationem facile accipio. Huc etiam ipse prius propendebam, ut ex Nota 4. recte deprehendit Vir eruditissimus. At vero *ΕΡΕΥΝΩΝ* quod attinet, vocem illam clare in *Wheleri* apographo exstantem, omnino retinendam censeo: pro qua *Sponius* substituit *ΕΡΕΥΝΑΙ*, cum, post edita *Wheleriana*, interpretationem inauspicato est aggressus. Jam vero omnia quadrabunt, si modo nova haec distinctionum nunc demum habeatur et admittatur ratio.

274 *Οὔριον ἐκ πρύμνης τὶς ὁδηγητῆρα καλείτω*
Ζῆνα, κατὰ προτόνων ἱστίον ἐκπετάσας,
Εἴτ' ἐπὶ Κυανέας δίνας δρόμος (ἔνθα Ποσει-
δῶν
Καμπύλον εἱλίσσει κῦμα παρὰ ψαμάθοις)

---

*) Edm. Chishull. FR.

Εἴτε κατ' Αἰγαίαν πόντου πλάκα. Νόστον ἐρευνῶν
Νείσθω, τῷδε βαλὼν ψαιστὰ παρὰ ξοάνῳ.
Ὧδε τὸν εὐάντητον ἀεὶ θεὸν, Ἀντιπάτρου παῖς
Στῆσε Φίλων, ἀγαθῆς σύμβολον εὐπλοΐης·

Urion excelsa ductorem e puppe vocato
Nauta Jouem, extenso vela rudente ferens,
Sive ad Cyaneas decurrat (ubi acer arenis
Commiscet tumidas Ennosigaeus aquas)
Seu maris Aegaei petat aequora. Dumque redibit
Sic eat, *huic Statuae si modo liba dabit.*
Ecce Deum hic posuit nautis laetabile numen
Propitiumque Philo, filius Antipatri.

Horum haec nunc esto Versio. In qua verbum *νείσθω* de reditu quidem intelligo; non vero de peracto, uti male me accepit Vir doctissimus, sed de incepto, nec jam finito. Quippe nautam hic alloquitur Poeta, non ex fano Jouis Vrii soluentem et ad idem iterum redeuntem; sed praeter illud fanum, Euxinum inter et Ae- 275
gaeum, vltro citroque vela facientem. Monet igitur peregre utrovis proficiscentem, ut in cursu invocet Jovem Vrium. Monet eundem domum utrovis redeuntem, ut, parva adhibita mora,

liba ad Jovis statuam profundat. Hoc sibi volunt tria priora disticha. Vltimum nunc lubens verto magis ad mentem huius Herculis Musarum. Sic enim ex pede ipsum metior, proque accepto habeo, quod qui clava confligere potuit, suadela maluit.

Idem proximis literis, Maii 6to 1729.

Sic capio coustructionem Epigrammatis. *Ἱστίον τὶς κατὰ προτόνων ἐκπετάσας, εἴτε ἐπὶ Κυανέας δίνας, εἴτε κατ᾽ Αἰγαίην πόντου πλάκα, δρόμος ἦ, τὸν Ζῆνα τὸν Οὔριον καλείτω. Νόστον δὲ ἐρευνῶν νεέσθω, παρὰ τῷ ξοάνῳ τῷδε βαλὼν τὰ ψαιστά.* Ita inter se recte opponentur *δρόμος* et *νόστος*. *Δρόμος* enim proprie navis est proficiscentis, anglice, *outward bound:* *Νόστος* e contrario redeuntis, anglice, *homeward bound.*

E. C.

276 26. [Ep. LXXXI.]

THE REV. DR. BENTLEY TO — —

In answer to some queries of an Oxford gentleman, concerning the date of a Persic MS. of the four Gospels, sent from Ispahan, said to be written *Yonane* 1504. and Hegira 589.

The person, who sent the MS. could not learn the meaning of *Yonane*, but is of opinion that it is no Epocha.

Qu. 1. What doth the word *Yonane* mean?

2. Can it be supposed to be any epocha?

3. Will the 1504th year of any such supposed epocha concur with Hegira 589?

Answer.

Yonane 1504. doth plainly denote the year of an epocha so call'd answering to Heg. 589. (which was, as you rightly compute, A. C. 1193.) and it seems to me to mean the Greek year according to the aera of the Seleucidae, which 277
aera began in the year before Christ 312, and hath been ever since used over all the East, as *Prideaux* in his *Connection* observes. For *Yonane*, or, as *Herbelot* in his Bibliotheque Orientale hath it, *Jounan* is the name, by which the Eastern nations called the people of the Greek empire under the successors of Alexander. *Jounan* from the old name *Jones*, who, according to ancient tradition, were descended from *Jon*, or *Jauan*, the son of Japhet. So *Josephus* (Antiq. I. 6.) *ἀπὸ Ἰωϋάνου Ἰωνία, καὶ πάντες Ἕλληνες*

γεγόνασι. Accordingly the sons of Jauan in Zach. IX. 13. are by the LXX called *τὰ τέκνα τῶν Ἑλλήνων,* and so our translation: *Thy sons, o Greece.* And thus in Daniel, Melech Jauan is rendered *Βασιλεὺς Ἑλλήνων, the King of Grecia.* So Beniamin the Iew in the 12th Century, just before this MS. was penn'd; *Tharsis adhuc filiorum Jauanis, quos Graecos dicunt, regno accensetur.* Itinerar. p. 53. The Greek empire then, as *Herbelot* shews, being called by the Easterns the empire of *Jounan,* and the several kings, successors of Alexander, Kings of *Jounan,* the Greek aera likewise was called the aera of *Jounan* or Yonane, i. e. *τῶν Ἑλλήνων,* 1 Maccab. 1. 10. And I think this will be put out of doubt, if the 1504th year of the
278 Seleucidae doth appear to concur with Heg. 589. in A. C. 1193. That year, I confess, (reckoning from the 312th before Christ, when the aera Seleucidarum began) seems to fall a year short, on A. C. 1192, and so not to be coincident with Heg. 589. But this doubt arises only from the different beginnings of the three years in question, and will easily be clear'd by an exact state of them. The Julian (which is the Christian) year commenceth, as we all know, of the first of January, and the

Seleucidan begins on the first of October; but the Mahometan is every year varying by an anticipation of eleven days, so as in about 33 years to be retroversed through the whole Julian year; all therefore to be done in this case, is to shew, that the two last did in good part concur in the same Julian or Christian year. Now the 1504th year of the Seleucidae (or *Yonane*) began on October the first, A. C. 1192, and the 589th of the Hegira began on Jan. 6. following, A. C. 1193, so that they were concurrent very near nine months, from Jan. 6. to Oct. 1. in A. C. 1193. The MS. therefore being dated *Yonane* 1504. and Heg. 589. must be written some-time within the compass of those nine months.

Camb. 1735. 279

This MS. is a very valuable gift on the account of its antiquity. For though we have here in our public Library three or four Persic Gospels, yet the oldest of them bears date about 200 years after this. The oldest of the three MSS. used by *Wheloek* in his Edition of the Persic Gospels was that of Dr. *Pocock*, which was afterwards published by Bishop

Walton, and that bore date only 1341, as is said in the Preface to *Whelock*, and more expressly declared by *Walton* in his *Prolegom.* c. 16. The next thing to be inquired, is whether yours be a version from the Greek, or (as *Pocock's* was) from the Syriac only.

280 27. [Ep. LXXXII.]

ERUDITISSIMO VIRO, TIB. HEMSTERHUSIO S. P. D. RICHARDUS BENTLEIUS *).

Dum mane occupatus eram in scribendis meis ad Horatium annotationibus, et in recensendis foliis, quae jam tum a typographo acceperam; venerunt ad me gratissimae tuae literae, per Sikium Londino huc missae; in quibus et eruditio tua singularis elucet cum summa humanitate

*) Quae sequuntur duae epistolae ad Hemsterhusium scriptae, aliquoties jamjam typis repetitae sunt cum Ruhnkenii elogio Hemsterhusii, cui ille eas addiderat, ab Hemsterhusii filio acceptas. Omisit vero Jo. Theod. Bergmanus, nuperrimus Opusculorum Ruhnkenianorum in Batavia (Lugd. a. 1823. T. I. II.) editor. Lindemannus, vir amicissimus, Bentleji epistolis a se repetitis in editione vitarum Hemsterhusii et Ruhnkenii (Lips. a. 1822. p. 28 sqq.) hic illic addidit quasdam animadversiones, quas malui ab ipso peterent lectores harum rerum studiosi. *FR.*

conjuncta, et egregius erga me amor et volun-
tas. Quamobrem, ne longiore mora exspectatio-
nem tuam morarer, deposito statim Venusino
nostro, Pollucem arripui; et quae de singulis
locis mihi sub *κρίσιν* et conjecturam veniunt,
jam hoc ipso die ad te *αὐτοσχεδιάζω*. Locus
primus est IX. 57. *ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν
ἐδύνατο* etc. Nihil hoc falsius dici potest; ne-
que vacat nunc quaerere, quomodo rem expe-
diant Salmasius, Gronovius, aliique quos me-
moras. Certam tibi emendationem praestabo,
σταθμὸς pro *χρυσοῦς*, ut ex toto loco clare ip-
se videbis: *ὁ δὲ σ τ α θ μ ὸ ς στατὴρ μνᾶν ἠδύ-* 281
*νατο· καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσταμένοις, τὴν μνᾶν
τῆς ῥοπῆς στατῆρα ὀνομάζουσι. καὶ ὅταν εἴ-
πωσι Πενταστάτηρον, πεντάμνουν δοκοῦσι λέ-
γειν, ὡς ἐν τῇ Ἱπποκράτους Παρακαταθήκῃ·
Ὅταν γὰρ, οἶμαι, λευκὸς ἄνθρωπος, παχὺς,
Ἀργὸς, λάβῃ δίκελλαν, εἰδὼς τρυφᾶν, Πεντα-
στάτηρον, γίγνεται τὸ πνεῦμ᾽ ἄνω· ἔστι δὲ
καὶ ν ό μ ι σ μ α στατὴρ, ὡς ὅταν εἴποι Ἀριστο-
φάνης* etc. Ex ultimis verbis *νόμισμα στατὴρ*
luce ipsa clarius est, supra non actum esse de
Statere *Nummo* sed *Pondere:* neque locum ibi
habere *χρυσοῦς* (quod de solo *nummo* dicitur)
sed corrigendum *σταθμός*. Nempe notissimum
est, Nummos et pecuniarum summas nomina

sua olim a Ponderibus accepisse: inde idem vocabulum et in Ponderibus et in Nummis eundem locum habuit: Postea nummorum singulorum pondere mutato et diminuto, nominibus tamen (a pondere ductis) adhuc servatis, immane quantum discrepabat, de ponderibus, an de nummis loqueretur qui vocabula illa usurparet. Haec comperta sunt, neque exemplis est opus. Ergo opponuntur hic Σταθμὸς et νόμισμα; ut paullo ante: Ἦν δὲ καὶ μνᾶ σταθμοῦ τε καὶ νομίσματος ὄνομα; et saepe alibi tam apud Hunc, quam apud alios. Στατὴρ igitur, cum de Pondere dicitur, *valebat*, ait, μνᾶν *minam*; hoc est, aequiponderabat minae: id probat, quia ἐν τοῖς ἱσταμένοις τὴν μνᾶν τῆς ῥοπῆς στατῆρα ὀνομάζουσιν, hoc est, quia *mina*, ponderis ipso nomine *Stater* a ponderantibus vo-
282 caretur. Quippe si idem *nomen* habeat, habeat utique eundem *valorem*, ut barbare dicam. Tum aliud profert argumentum ex Ἱπποκράτους poëtae fabula, qui voce πενταστάτηρον (de pondere) pro πεντάμνουν usus est; ergo stater idem ac Mina. Sed pro Ἱπποκράτους corrige vel Κράτους (ut alibi Pollux, ubi hunc ipsum locum citat, vel, ut ibi Codex. Vossianus, cujus lectiones variantes habeo, Σωσικράτους) vel propius ad vulgatam hic lectionem

Ἐπικράτους, qui passim Athenaeo, aliisque lau-
datur. Sequitur ipse locus ad Jambos a nobis
supra redactus; sed versu secundo pro εἰδὼς,
lege εἰωθὼς τρυφᾶν· sententia est: Si quis ex
plebe illa urbana, albus et Soli insuetus, pin-
guis, piger, luxuriae deditus, vel levissimum li-
gonem vix quinque librarum pondere sustulit,
statim *anhelus* fit et ilia ducit. Ἄνω γίγνεται,
ut Horatius noster: *Sublimi fugies mollis an-
helitu*, quod Vir magnus, Julius Scaliger se ex
toto Galeno negavit capere posse. Verba jam,
opinor, satis illustravimus: rem ipsam, nempe
Staterem ἐπὶ σταθμοῦ valere Minam, jam con-
firmatum dabimus. Pollux lib. IV. 173. *Σταθ-
μῶν ὀνόματα. Στατῆρα*, ait, *οἱ τῆς Κω-
μῳδίας ποιηταὶ τὴν λίτραν λέγουσι. τὴν μὲν
γὰρ λίτραν εἰρήκασιν οἱ Σικελοὶ κωμῳδοί. δί-
κελλαν δὲ πενταστάτηρον Σωσικράτης ἐν Πα-
ρακαταθήκῃ, τὴν πεντάλιτρον.* Sic lego ex
Codice Vossiano, et est idem locus qui supra
ex *Hippocrate* adductus est. Sententia est, λί- 283
τραν, *Libram*, Siculorum pondus, Poëtae Co-
mici Athenienses στατῆρα nominant; et ligo-
nem πεντάλιτρον Sosicrates dixit πενταστάτη-
ρον. Vides hic secundum Pollucem staterem
(de pondere dictum) valere libram, λίτραν; in
altero loco valere minam, μνᾶν. Rectissime:

quippe in Ponderibus *λίτρα* Siculorum idem valebat quod *μνᾶ* Atticorum. Hoc certissimum est; quia utrumque tam *mina*, quam *libra* ducebat olim pondus centum Drachmarum sive Denariorum: ut alia argumenta et exempla taceam. Tu, Vir doctissime, si Anglice scis, de *λίτρα* et ceteris nummis ponderibusque Siculorum, multa nova reperies in Dissertatione nostra de Epistolis Phalaridis. Jam ad proximum, de quo consulis, locum accedo, qui sic habet IX. 70. *Ἐν τοῖς Ἀριστοφῶντος Διδύμοις ἢ Οὐλαύρῳ*, vel, ut MSS. *Διδύμαις ἢ Πυραύλῳ.* quorum utrumque mendosum esse satis constat; quid reponendum sit, cum nusquam alibi citetur haec fabula, certo scire nefas est. Poteris, *Πυλωρῷ*, *Janitore;* poteris *Πυραύνῳ* sive *Πυρδάλῳ*, hoc est, *χυτρόποδι*, *Batillo;* poteris *Πυθαύλῃ*, *Pythaula.* Sed hoc hariolari est; primum tamen magis arridet. Tertius locus est IX. 93. *Φησὶ γοῦν ἐν τοῖς Ἀποφθέγμασιν ὁ Καλλισθένης ὑπὸ Εὐβούλου τοῦ Ἀταρνείτου τὸν ποιητὴν Περσῖνον ἀμελούμενον, εἰς Μιτυλήνην ἀπελθόντα, θαυμάζοντα γράψαι,*
284 *διότι τὰς Φωκαΐδας ἔχων Ἦλθεν ἥδιον ἐν Μιτυλήνῃ μᾶλλον ἢ ἐν Ἀτάρνει καταλλάττει*, qui levi manu sanari potest, lege, *Φωκαΐδας, ἃς ἔχων Ἦλθεν, ἥδιον — ἐν Ἀταρνεῖ.* Et senten-

tia est, Callisthenes narrat Persinum, ab Eubulo spretum, Mitylenam abiisse; atque ibi mirabundum scripsisse, Quod libentius permutaret (sive in victum impenderet) Phocaeenses quos secum attulit nummos, Mitylenae, quam Atarneo; hoc est, se magis ex animi sententia vivere hic, quam illic. Recte *Φωκαΐδας* ex MSS. non *Φωκαΐτας*. Hesych. *Φωκαΐς. ὄνομα ἔθνους, καὶ τὸ κάκιστον χρυσίον.* lege vero *Ἀταρνεῖ;* nam nomen urbis *Ἀταρνεύς*. De Persino nihil comperi. Sequitur Cratini locus a Salmasio tentatus IX. 99. *Πανδιονίδα πόλεως βασιλέως, τῆς ἐριβώλακος οἶσθ' ἣν λέγομεν, καὶ κύνα καὶ πόλιν, ἣν παίζουσιν.* Numeros hic Anapaestos video, quo certissimo filo ex tenebris his expedire me posse videor: lego itaque et ad versus redigo: *Πανδιονίδα, πόλεως βασιλεῦ, Τῆς ἐρικώλακος, οἶσθ' ἣν λέγομεν; Καὶ κύνα καὶ πόλιν, ἣν παίζουσιν.* Quorum haec sententia est: O Pandionide (orte Pandione) rex civitatis parasitis refertae: Scis quam civitatem dicimus? Non utique Athenas, sed quam latrunculis ludunt, *κύνα καὶ πόλιν.* Hoc a Cratino *πέπαικται*, ait Pollux. Ergo pro *ἐριβώλακος* (ex vulgata et MSto Salmasii qui habet *ἐρικόλακος*) lego *ἐρικώλακος*, et propter versum et parodia ab *ἐριβώλακος*, quod non 28

urbi, sed *regioni* convenit. *Ἐρικώλακος* itaque *πέπαικεν* hic Cratinus, ut Aristophanes, *ὅλᾳς, Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει*, et alia multa. Deinde, ut offensam vitet, jocose se non de Athenis urbe, sed de ludo verba facere *κύνα καὶ πόλιν*, quae explicabit tibi ipse Pollux IX. 98. *καὶ τὸ μὲν πλίνθιον* (sic lege, non *πλινθίων*) *καλεῖται πόλις, τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη, κύων.* Proximus locus Eupolidis est X. 10. *Αὐτὰ δὲ τὰ σκεύη καλοῖτ' ἂν ἐπιπλάγιον ἢ κουφὴ κτῆσις, τὰ ἐπιπολῆς ὄντα τῶν κτημάτων. Ὁ γοῦν Εὔπολις ἐν τοῖς Κόλαξι προειπὼν — — ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν, ἐπήγαγε παραπλήσιον· τεσσυγέγραπται τοῖς τὰ ἔπιπλα.* Pro istis *ἐπιπλάγιον ἢ*, tu, Vir doctissime, refingis, *ἔπιπλα ἤγουν ἡ κούφη κτῆσις.* satis commode, quoad sensum. Sed vestigia literarum vide, et sic potius scribes, *ἔπιπλα, οἱονεὶ κουφὴ κτῆσις.* Hoc certissimum: deinde tentas; *Τέως οὖν γέγραπταί σοι τὰ ἔπιπλα.* Prope hoc ad literas, sed nullum inest metrum. Lego et distinguo, ut senarius sit Jambicus, *Παραπλήσιόν τε σοι γέγραπται τἄπιπλα.* Sententia est, Cum Eupolis prius dixisset, *ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν*, mox subjunxit (*ἐπήγαγε*) addidit, *Et similiter descripta*, numerata, tibi sunt *τἄπιπλα*, *vasa mobilia.* *Τἄπιπλα*

pro τὰ ἔπιπλα primam syllabam producit, ut
τἀμὰ, τἄδικὰ etc. Venio ad locum X. 18. ubi
verba Alexidis, *Ποῖ δέ μ' ἄγεις; διὰ τῶν κύ-
κλων.* et sic MS. Vossianus, mox Diphili ῥῆσις
ex Excerptis tuis, *Καὶ προσέτι τοίνυν ἐσχάραν
καὶ νῦν κάδον, στρώματα, συνὸν ἀσκόπηρα,* 286
*θύλακον, ὡς ποῦ στρατιώτην ἄν τις· ἀλλὰ
καὶ κύκλον ἐκ τῆς ἀγορᾶς ὀρθὸν βαδίζειν
ὑπολάβοι· τοσοῦτος ἐσθ' ὁ ῥῶπος, ὅσον σὺ
περιφερής.* Quos Jambos esse recte calluisti, et
sic emendas, *καινὸν — συνόντα τ' ἀσκοπή-
ρα — στρατιώτης — ὑπολάβοις, περιφέρεις.*
Recte hoc postremum: totum vero locum, vide,
an sic potius rescripseris: *Καὶ προσέτι τοίνυν
ἐσχάραν, κενὸν κάδον, Στρώματα, σίγυνον,
ἀσκόπηραν, θύλακον· Ὡς που στρατιώτην
ἄν τις, ἀλλὰ καὶ κύκλον Ἐκ τῆς ἀγορᾶς ὀρ-
θὸν βαδίζειν ὑπολάβοι· Τοσοῦτος ἐσθ' ὁ ῥῶ-
πος, ὃν σὺ περιφέρεις.* Servulum, credo, ali-
quem alloquitur quis, variis utensilibus hume-
ros oneratum. Tot res, inquit, cervice gestas,
ut Militem te esse existimet quivis (Scis milites
olim omnia arma et utensilia sua suis humeris
in agmine portasse) vel potius *κύκλον* et totam
turbam *ῥωποπωλῶν* ex foro domum redire:
Tanta vasorum vis est, quam tu portas. *Κενὸν
κάδον*, ne, si vino plenum esset, impar esset

servulus tot rebus gestandis. *αι* autem et *ε* passim inter se mutari, nullus dubito, quin probe scias. *Σίγυνον*, quod et metro et sententiae aptum; *hastam ferream:* inde sequitur quod *στρατιώτην* esse suspicetur quis. *ὃν σὺ* pro *ὅσον σὺ* clara correctio est. *Κύκλος* vel *κύκλοι* erat locus in Foro, ubi *σκεύη* utensilia venibant: *Credat itaque* aliquis ipsum *κύκλον* cum omnibus suis vasis ex foro ambulare: adeo
287 onustus es omni genere vasorum. Atque hactenus, ut expedite, ita, ni fallor, feliciter res processit. Quae vero postea quaeris, sunt ejusmodi, ut nullus sit conjecturae locus: adeo curta, mutila et mendosa sunt. X. 76. *scapham*, inquit, Aristophanes vocat, in quam invomunt, ut *καὶ ἡμισκαφῆς δ' ἐν στι ἐν ποδολονίων ἐμοῦμεν.* quod sic ipse tentas, *Καὶ ἡμῖν σκαφή 'στ' ὡς ἂν ἐν τῇ ποτὸν οἶνον ἐμοῦμεν.* Nihil video, nisi Tetrametri versus vestigia,

Καὶ μὴν σκαφὴ 'στ' υ — υ — — — υ —
ἐμοῦμεν, quale illud,
Ἄνδρες φίλοι, καὶ δημόται, καὶ τοῦ πονεῖν
ἐρασταί.

Nolim autem, ut conjecturae tuae fidas; neque enim metrum ullum, nec Graecam orationem servat. Cetera piget describere: neque

enim nunc otium est; si vellem nervos intendere, et extundere aliquid. Tu igitur haec, qualiacumque sunt, aequi bonique consule, et raptim bene vale.

28. [Ep. LXXXIII.]

CLARISSIMO VIRO, TIBERIO HEMSTERHUISIO

S. P. D.

RICARDUS BENTLEIUS.

Jam septimana, credo, effluxit, ex quo li- 288
teras tuas optatissimas per adolescentem Danum accepi, in quibus serio videris laborare, ut a negligentiae te crimine purges, quod epistolio a me olim accepto tam sero demum rescripseris. Nae tu parum adhuc me nosti, si aut id me credis succensuisse; aut adeo irasci facilem, ut tam operosa excusatione tibi opus fuerit. Non enim tam grande pretium emendatiunculis meis statuere soleo; ut singularem aliquam gratiam inde sperem, aut exigam. Facile enim et quasi sponte mihi solent subnasci: et iniquum plane est, quod minimo mihi labore constet, id postulare magnae gratiae mihi apponi. Tu, tamen haud contentus exquisitissimis verbis grates mihi persolvere, etiam elegantissimo Lucianei libelli munere demereri me volui-

sti. Quin, ut magis magisque in tuo aere sim,
289 variantes Flacci lectiones ex codice scripto polliceris, accurata tua opera describendas. Enimvero ob tam prolixam tuam humanitatem, non dici potest, quam devinctum tibi me ac obstrictum habeas. Scias autem, amice praestantissime, me ejusdem Franekeriani libri lectiones e bibliotheca Franciana emtas a Praesule Eliensi dudum habuisse: quas tamen indiligenter et perfunctorie descriptas esse satis mihi compertum est. Tu, sat scio, longe plures et fideliores inde depromeres: neque tamen, cum meliores aliquot Codices aliunde sim nactus, operae pretium fuerit te isto labore et taedio cruciari. Si ipsius Codicis (quod Anchersenius non desperare jussit) vel biduum tantummodo mihi copia fieri posset; crediderim equidem nonnihil fructus ad editionem nostram inde perventurum. Ego enim vel ex ipsis lituris multa expiscari possem, quae alius cujusvis Animadversionum mearum inscii et oculos et mentem fugere est necesse. Tu, quod commodo tamen tuo fiat, experieris, an ex claustris Bibliothecae codex ille huc evolare poterit.

Ceterum ob nitidam illam et magnificam Pollucis editionem (cujus exemplar continuo ut

prodiit mihi comparavi) quas tibi gratias satis dignas referemus? Deus bone, quae industria, quae eruditio, quod judicium, quod acumen, quae fides ubique elucet? Unum tibi defuisse doleo (quod a vera amicitia profectum aequis auribus accipies) majorem rei Metricae peritiam. Cum enim cetera in Polluce fere omnia non ita magno labore expediri et restitui possint ex aliis Lexicis; in fragmentis vero Poëtarum, quae subinde adducuntur, recte refingendis is demum arduus sit labor et periculosus: haec qui sine rei metricae doctrina ausit attingere, perinde est, ac si in Labyrinthum se conjecerit, sine fili praesidio exitum tentaturus. Certe qui syllabarum omnium quantitatem et omnigenorum versuum mensuram in numerato habet, ei πόριμα erunt multa et facilia, quae aliis hac scientia destitutis prorsus sunt ἄπορα. Quare obsecro te, vir eximie, et magnopere hortor, ut et hanc eruditionis partem ceteris, quas cumulate adeo possides, velis adjungere; grande, mihi crede, operae pretium et mirificam quandam voluptatem inde laturus. Animos autem tibi addat, documentoque sit celeberrimus noster Kusterus; qui ubi primum in Britanniam appulit Editioni Suidae manum admoturus, Prosodiae vero ultra Hexametros et Elegiacos

fere imperitus, me auctore et suasore, sedulam huic doctrinae operam navavit. Quid autem ille eximium sive in Suida, quem emendatissimum dedit, sive in Aristophane, quem nunc in ma-
291 nibus habet, perficere potuisset? Nihil certe in ejusmodi fragmentis absque hac ope proferre, immo ne de aliorum quidem conjecturis judicare et cognoscere licet. Quamobrem, etsi paullum otii nactus dieculam hanc tibi impendere statui, et integrum Pollucis librum decimum percurrere, quem tu jure omnium difficillimum esse questus es; haud tamen mirer, si quae ego pro certissimis habeo, tibi, ut nunc est, incerta, dubia, falsa videantur. Ea tamen postea, ubi in Metrica arte versatior fueris, *τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ* clariora tibi visum iri, haud vanus vates praenuntio. X. 11. Ridicule Kuhnius, in Prosodia plane hospes, et Jungermanno longe inferior, *Καὶ — σκευὴ οἰκητήρια.* Senarius ille sic legi et distingui debuit, *Καὶ ναὶ μὰ Δί', ἄλλα σκευάρι' οἰκητήρια.* Sect. 12. Menandri locum sic lege,

— — — *ὅσ' ἐστὶ μαλακά, συλλαβών,*
Ἐκ τῆς πόλεως τὸ σύνολον ἐκπήδα φίλος.

Necessarius est hic jambus *φίλος* ex MSS. non stare potest spondaeus *θᾶττον*. *Vasa tua col-*

ligens, amice, exili ex urbe. In Diphili loco, male factum, quod ἐκ δόμου in textu posueris pro vulgato ἐκδράμει. Sic totum refinge:

——— εἶτα μαλακὸν, ὦ δύστην', ἔχεις 292
Σκευάριον, ἐκπωμάτιον, ἀργυρίδιον.
Οὐκ ἐκδραμεῖ λαβὼν τόδε, καὶ δώσεις ἐμοὶ
Παρακαταθήκην;

Ἐκδραμεῖ Atticum pro ἐκδραμῇ ab ἐκδραμοῦμαι. Cetera jam facilia. Sect. 17. Aristophanis locus sic ponendus:

——— καὶ τὸν ἱμάντα μου
Ἔχουσι καὶ τἀνάφορον ———

Illud Alexidis ibidem, Ποῖ δέ με ἄγεις διὰ τῶν κύκλων, sic rescribe — A. Πῇ δή μ' ἄγεις; B. διὰ τῶν κύκλων. Dialogus est, *Qua me ducis? per cyclos.* Recte Vulgati πῇ *qua*, non ποῖ *quo.* Sequentem autem Diphili locum credo me antea tentasse, ut conjicio ex tua Epistola. Meae enim exemplar non servavi, neque nunc, quid scripserim, memini. Locus autem sic constituendus videtur:

Καὶ προσέτι τοίνυν ἐσχάραν, κλίνην, κάδον,
Στρώματα, ῥίγυνον, ἀσκόπηραν, θύλακον.
Ὡς που στρατιώτην ἄν τις, ἀλλὰ καὶ κύ-
κλον

'Ἐκ τῆς ἀγορᾶς ὀρθὰ βαδίζειν ὑπολάβοι.
Τοιοῦτος ἐσθ' ὁ ῥῶπος, ὃν σὺ περιφέρεις.

293 *Κλίνην* tu recte pro *καὶ νῦν*· Epitheton enim hic locum non habet. Pro *συνὸν* sine dubio repone *σίγυνον*· inde *militi* eum comparat. Quodsi et antea *σίγυνον* in Epistola emendaverim, illud indicio erit, veram esse conjecturam, quae bis ex intervallo in mentem venerit. Porro Sect. 21. locus *Antiphanis* (sic enim recte MSS. et plura hujus et Diphili fragmenta apud Athenaeum extant, quae ex hujusmodi *γλώσσαις* et affectatis vocabulis quaerunt risum; nulla Aristophanis, qui odio habebat illa *φορτικὰ*) ad Senarios redigendus est, si Kuhnium audimus. Dii boni! ne vestigium quidem senarii est in tribus illis, quos concinnavit; ut plane nauseam mihi moveant. Tu vero tetrametros Trochaicos sic refinge et colloca:

A. Ἂν κελεύῃ με σταθμοῦχος. B. ὁ σταθμοῦχος δ' ἔστι τίς;
Ἀποπνίξεις σὺ δή με καινὴν πρός με διάλεκτον λαλῶν.
A. Εἰ 'πιτάττοι μοι στέγαρχος.

Binae, ut vides, sunt personae; quarum prior novo vocabulo utitur *σταθμούχῳ* pro *οἰκοδεσπότῃ*· quod altera se negat intelligere. Prior

vero ineptire pergit; et quasi σαφέστερόν τι di-
cturus, aliud verbum adhibet aeque ignotum.
Nam ἂν κελεύῃ με σταθμοῦχος, et (ex nostra
Emendatione) εἰ ἐπιτάττοι μοι στέγαρχος, idem
significant. Sect. 33. Locus Aristophanis, τί 294
μ' ὦ πόνηρ' ἐξορίζεις ὥσπερ κλιντήριον, men-
dosus est sine dubio. Sed corrigendi viam cer-
tam non possum inire; quia τὸ μέτρον hic non
agnosco. Sect. 35. legerim, ex Scirone Saty-
rico:

Σχεδὸν χαμεύνῃ σύμμετρος Κορινθίας
Παιδὸς, κνεφάλου δ' οὐχ ὑπερτενεῖς πόδα.

σύμμετρος εἶ τῇ χαμεύνῃ· *non procerior es lectulo Corinthiae cujusvis ancillae.* Sed haec aptius conveniunt Procrustae (scis historiam) quam Scironi: adeo ut forte in eadem fabula de utroque poenas sumserit Theseus. Sect. 39. Aristophanis ἐν δὲ Δαναΐσι, Τῶν χειρῶν ἔργα μνοῦς ἐστι. Nulla hic sententia, nullum metrum. Nimirum sunt verba Pollucis, (non Comici) et sic corrigenda: Ἐν δὲ Δαναΐσιν τῶν χηνῶν πτερὰ μνοῦς ἐστι. *In Danaisin μνοῦς anserum plumam significat.* Atque hoc verum est. Ibid. apage illud Hyperidis ὑπὲρ νικᾶς· quod temere in textum recepisti ex insulsa conjectura Kuhnii. Quis dubitet post ὑπὲρ sequi viri no-

men; ut in reliquis Hyperidis terque quaterque apud Harpocrationem. Ergo *Μικάλου* pro *μίκας· οὐ* enim a sequente *ὀνομάζειν* facile absorberi potuit. Sect. 41. *Ὤνητο* etc. Placet vulgatum *ὠνητιῶν*; et sic constitue,

295 *Ὠνητιῶν τὸ δέρμα τοῦ θηρὸς — —*
ῥάψας ὅλον
Σάξαι κνεφάλῳ.

Jam in illo Chionidae Sect. 42. *Πολλοὺς δ' ἐγὼ δ' ἀκούω κατά σε νεανίας*, quod in metri legem gravissime peccat, beasti quod corrupta illa Falkenburgiani codicis *ἐγὼ δακοῦ* et *ἀτέχνους* non invidisti nobis: Ecce enim ex illis ruderibus veram tibi lectionem praesto:

Πολλοὺς ἐγῷδα, κοὐ κατά σε, νεανίας
Φρουροῦντας ἀλύχνους, κᾀν σάμακι κοιμωμένους.

Novi, inquit, *multos adolescentes*, *atque eos non tuae sortis*, vel, *non tui similes*, *excubantes sine lucerna*, *et super arundinem dormientes.* *Ἄλυχνος* eodem sensu Euripidi dictum apud nostrum VII. 178.

Κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος, ὥςπερ θὴρ, μόνος.

Sect. 46. in illo Antiphanis pro *ἐν χαλκοῖς*, vel,

ut Aldi editio *οὐ χαλκοῖς* supra extat in IV. 183. *εὐλαμπρῶς*. Et sane cum *πάνυ* adverbium hic convenit: lege

— — κατεσκευασμένος 296
Λαμπρότατον ἰατρεῖον εὐχαλκῶς πάνυ,
Λουτηριοῖσιν, ἐξαλίπτροις, κυλικίσιν,
Σικύαισιν, ὑποθέτοισιν — —

Sect. 55. Strattidis versus sic in ordinem redigendi sunt; non ut Kuhnius dedit absurdissime; ut confidentiam quidem hominis mirer, qui id ausus sit profiteri, quod nec hilum intelligebat,

— — πρόσθ' ἄγε
Τὸν πῶλον ἀτρέμα, προσλαβὼν τὸν ἀγωγέα
Βραχύτερον. οὐχ ὁρᾷς, ὅτι ἄβολός ἐσθ' ἔτι;

Πρόσθε ἄγε, produc equum placide: ἔτι quoque necessarium et sententiae et versui, ab *ἔστι* absorptum est. Sect. 58. Locum Philyllii, in quo sollemniter delirat Kuhnius, sic restitue: *Καὶ πινακίδα δ' ἂν εὕροις ἐν ταῖς Φιλυλλίου Πόλεσι, λέγει γέ τοι Δωρίζων,*

Ἐκ τᾶς πινακίδος ἀμπερέως, ὅτι κἦν λέγοι
Τὰ γράμματ', ἑρμήνευε.

Πιναxίδα, inquit, *invenias in Philyllii Πόλεσιν· dicit autem Dorice, Interpretare tu clare ex tabula, quid literae significent.* Vides, opi-
297 nor, Dorismum *ἐκ τᾶς* et *ἀμπερέως* (*σαφῶς*, idem quod *διαμπερέως*, vide Hesych.) Nimirum persona hic inducitur vernacula lingua utens Dorica; unde *Πόλεις* credo nomen dramati inditum; quod variarum urbium cives sua quisque dialecto ibi loquebantur. Sect. 62. Antiphanis locus est; ubi *ξυνακόλουθος* a versu repudiatur. Eleganter et vere Salmasius *Ἀξυνακόλουθος, ξηρὸς, αὐτολήκυθος*, i. e. *incomitatus.* Quod omnino in textum recipiendum erat. Poteris etiam sic refingere,

Ξυνηκολούθεις ξηρὸς, αὐτολήκυθος.

Sed alterum illud sententiae videtur aptius. Sect. 63. Optime dedit locum Eupolidis Jungermannus, ex necessitate metri,

Ὅστις πύελον ἥκεις ἔχων καὶ χαλκίον,
Ὥσπερ λεχὼ στρατιῶτις ἐξ Ἰωνίας.

Clara sententia, *Qui urnam et ahenum portas; tanquam puerpera Ionica, castra sequens.* Nempe in Ionia, ubi disciplina militaris non admodum vigebat, mos erat, ut uxores comitarentur suos maritos militantes: ubi si quae for-

te peperisset, vasa circumferebat balneatoria. At
bonus vir, Kuhnius *στρατιώτης* hic in senario
ponit: quod perinde est, ac si sic in Virgilio
legendum contenderet, *Tityre tu patulae re-* 298
cumbens sub tegmine fagi. Vides, opinor, *ὦ
φίλη κεφαλή*, quantivis esse pretii leges metri-
cas rite callere. Sect. 64. Locus Aeschyli, *Λί-
να δὲ πίσσα, καὶ ὠμολίνου μακροὶ τόνοι.* Si-
ne dubio senarius erat, sed *λίνα* stare hic non
potest, cum posteriorem corripiat; at *λινᾶ* a
λινοῦς optime: tum autem requiretur substanti-
vum plurale. Lege igitur, si libet,

Λινᾶ δὲ γεῖσσα, κὠμολίνου μακροὶ τόνοι.

Hesychius in *Γεῖσα*, *ἔνιοι δὲ*, inquit, *τὰς ὤας
τοῦ ἐνδύματος γεῖσσα λέγουσιν·* ita ibi legen-
dum, non *γείσας*. *Lineae*, inquit, *fimbriae, et
crudi lini teniae.* Sed, cum Editio Aldina ha-
beat *λινάδες πίσσα*, et Codd. MSS. *λίνα δὲ
σπίσσα;* merito illud sigma haud temere irre-
psisse videatur. Verius igitur, credo, reponas,

Λινᾶ δὲ σπεῖρα, κὠμολίνου μακροὶ τόνοι.

Sect. 65. Antiphanis locus, *καὶ τὸ χερνίβιον
πρῶτον ἡ πομπὴ σαφής*, ut senarium clare se
ostendit fuisse, ita et sic esse corrigendum. *Τὸ
χερνιβεῖον*, non *χερνίβιον.* Lego equidem to-

tum ex Falkenb. *Τὸ χερνιβεῖον πρῶτον ἐκ πομπῆς ἄφες*, vel *ἀφείς*. Sed, excepto *χερνιβεῖον*, nihil hic certum. Jam vero sect. 71. in Epicharmi senario ferri non potest *δηλοίμην*;
299 requiritur vi metri vel *δηλοῖ μὲν* vel *δηλοῖμεν*, vel fortasse,

Οὔτ' ἐν κάδῳ δὴ λῶμεν, οὔτ' ἐν ἀμφορεῖ.

λῶμεν, *volumus*, ut *λῇς*, *vis*, *λῶντι*, *volunt*, *Δωρικῶς* Sect. 73. sic constitue locum Antiphanis:

— — *ἀσκοπυτίνην τινὰ*
Δίψους ἀρωγὸν — —

Sect. 74. Aristophanes *ἐν δὲ τῷ Γήρᾳ*, *Ἐφ' ὑδρίαν δανείζειν πεντέχουν ἢ μείζονα.* Atqui senarius haud recte procedit: quod ut fiat, lege minima mutatione, *Ἐν δὲ τῷ Γήρᾳ ἔφη,*

Ὑδρίαν δανείζειν πεντέχουν ἢ μείζονα.

plane, ut infra sect. 76. *Κρατῖνος ἐν Ὥραις*, *Ἐφ' ἡμῶν*, pro *ἐν Ὥραις ἔφη*, *Μῶν* etc. Ceterum corruptior est Polyzeli locus sect. 76. sed metri vestigiis insistens sic veram lectionem eruo:

— — *λεκανίῳ γ' ἄρα*
Πρῶτον μὲν ἀπονίψεις, ἔπειτ' ἐνεξεμεῖς,
Ἐνεκπλυνεῖς, ἐναποπατήσεις, Φανία.

Primum, ait, *in λεκανίῳ lavabis adhuc puro: postea ad spurciora eo abuteris.* Vide autem, ut una cum metro sententia quoque belle pro- 300
cedat. Quis neget, *ἔπειτα* necessarium esse post *πρῶτον?* quis in *ἐναποβάσεις*, quod nihil est, non agnoscit *τὸ ἐναποπατήσεις?* Denique pro *Κυανία* nomine inaudito, ecce tibi de machina trisyllabon *Φανίας*, Persona apud Menandrum et alios comicos notissima. Ceterum nota illud, *ἐνεξεμεῖς*, quod futurum notat *Ἀττικῶς*, ut plura alia tibi sine dubio non incognita. At sequitur deploratus plane locus Aristophanis, *Καὶ ἡμισκάφης δὲ ὡς ἔν τι εἰποδιλονίων ἐμοῦμεν·* ex quibus depravatissimis, tu nobis, amice, horribilem versum effinxisti, plane *ἄμετρον* et *ἄμουσον*. At dehinc, si me audis, et artem metricam assequeris, id saltem disces quod quantivis est pretii, tacere potius, quam nihil dicere. Ego vero ex prima facile catalecticum tetrametrum hic agnosco: ut proinde aut talis versus hinc excudendus sit, aut omnis opera ludatur. Vis ergo, ut hariolari incipiam? age, aut veram lectionem tibi dabo, aut saltem Aristophane non indignam; lege igitur,

Κἀμῖν σκάφην δὸς, ὥστε μὴ 'ς ποδάνιπτρον ἐξεμῶμεν.

Et nobis scapham da, ne evomamus in aquam
qua pedes abluendi sunt.

Possit et sic, *Κἀμῖν σκάφης δεῖ, μήποτ᾽ ἐς* etc.

Sed hoc, ut dixi, est hariolari: nam et anim-
301 adverto te aliter paullo in Editione, aliter in Epistola ad me scripta, codicis verba exhibere. Si ipsa Excerpta Falkenburgiana viderem, certius fortasse aliquid extunderem. Sect. 78. in Dioclis senario nescivit bonus Kuhnius *ποδανίπτηρ* secundam syllabam corripere. lege autem,

Ὑδρία τις, ἢ χαλκοῦς ποδανίπτηρ, ἢ λέβης.

Quin et Jungermannus (etsi altero, ut dixi, longe melior) sect. 79. in Pherecratis loco senarium inchoat ab *Εἰσέκρουσεν;* plane contra artem. Tu vero Tetrametrum puta et sic constitue,

Λαβοῦσα μὲν τῆς χοίνικος, τὸν κύνδακ᾽
εἰσέκρουσεν.

Sect. 82. in Cratini loco, nollem caecum ducem secutus esses Kuhnium, in *κᾆτ᾽ ἄλφιτα.* Quam otiosum enim ibi *τὸ εἶτα?* quam necessarius articulus *τὰ ἄλφιτα,* ut *ὁ βοῦς, ἡ μαγίς?* Ergo sanissima est vetus lectio:

Ὁ βοῦς ἐκεῖνος, χ᾽ ἡ μαγὶς, καὶ τἄλφιτα.

Porro Phrynichi locus sect. 86. *Κἂν ὀξυβάφῳ* etc. est Anapaesticus Aristophaneus; sed deficit uno pede anapaesto:

Κἂν ὀξυβάφῳ χρίεσθαι — — τρεῖς χοίνικας ἢ δύ' ἀλεύρων.

neque vero sine Codice suppleri debet ex con- 302
jectura. lege insuper paullo ante, *ἐν Ὄρνισιν Ἀριστοφάνους*, non *νης*; ut hic *ἐν τοῖς Φρυνίχου Μούσαις*. Eodem versus genere habetur Metagenis locus sect. 88. sic collocandus:

— — ὡς ἂν
Πολλαῖσι παροψίσι καὶ καιναῖς εὐωχήσω τὸ θέατρον.

ut et alter iste ex Aristophanis Tagenistis,

Τὸ δ' ἔτνους ἐν ταῖς κυλίχναις τουτὶ θερμὸν, καὶ τοῦτο παφλάζον.

Metrum ipsum efflagitat *ἔτνους* et *τοῦτο*, non *ἔτνος* et *τουτὶ* quod ultimam producit. Eleganter vero *ἔτνους* casu genitivo. *ἔτνους τουτὶ καὶ τοῦτο.* *Pultis pars calida, pars bulliens.* Sect. 90. in Cratetis loco, nollem te a scriptura Codicis discessisse,

Ὁ κάνης δὲ τῆς κοίτης ὑπερέχειν μοι δοκεῖ.

Nam *τὰ κανίσκια δὲ* etc. quod tu dedisti, peccat in leges metri. Totus locus sic videtur legendus: *Ἐπὶ δὲ τούτοις καὶ κανᾶ καὶ κάνητα καὶ κανίσκια. Καὶ κάνης μὲν Κράτης ἐν Ἥρωσιν εἶπεν, Ὁ κάνης δὲ τῆς κοίτης ὑπερέχειν μοι δοκεῖ* (ubi *κάνης* videtur esse *storea, teges*) *κάνητος* vero Aristoph. Acharn. *κανισκίῳ*
303 in Gerytade. vel forte *κανίσκια* rejiciendum, et *κανίτια* recipiendum ex VI. 86. Sect. 91. Eupolidis versus Trochaicus est, sic describendus:

Ἀλλὰ τὰς κοίτας γ' ἔχουσι πλουσίως σεσαγμένας.

Sed Pherecratis locum tangere non ausim, adeo deformis est; si modo recte illum ex MS. exscripsisti. *Ἀλλὰ καὶ κοίτας τὰς ἐν ἐμοὶ ἀποβάνθ' ἃ μέλλομεν ἀριστήσειν.* Sed ex fine tamen subodoror esse Aristophaneum *σπονδαΐζοντα.* Tentemus igitur ad illud metrum redigere, *Ἀλλ' ἐν κοίταις ἔνι γ', οὔτ' ἀπόβληθ', ἃ μέλλομεν ἀριστήσειν.* *Sed in arcis insunt, non spernenda quidem, quae eramus pransuri.* *Ἔνι* id est *ἔνεστι· ἃ ἐμέλλομεν* contracte *ἃ 'μ.* ut syllaba fiat longa, quam versus exigit. Sect. 93. Nicocharis verba duos senarios efficere pronunciat Kuhnius, qui ex numero syllaba-

rum, non quantitate, senarios metiri videtur: melius paullo Jungermannus. Tu sic lege:

Σοφαῖς τε (vel *Σοφαῖσι. παλ.*) *παλάμαις τεκτόνων εἰργασμένον*
Καὶ πολλ' ἐν αὐτῷ λεπτ' ἔχων καδίσκια, Κυμινοδόκον —

vel etiam *τέκτονος ἀπειργασμένον*. Sect. 94. in Anaxippi loco apage illud *στάθητι*, quod versus respuit. lege, *Τὴν μυιοσόβην λαβὼν παράστηθ' ἐνθάδε*. et ibidem Aristophanis locum sic dederat Pollux,

Φέρε τοὺς ὀβελίσκους ἵν' ἀναπήξω τὰς κίχλας.

Varia lectio *ἀναπήξω*, *ἀναπείρω*· atque haec 304
melior. Sect. 98. in Teleclidis loco emendatio tua *σίζοντα* melius se tutabitur, si sic legeris:

Τὰ δὲ τηγάνῳ σίζοντά σοι μολύνεται.

quod sine dubio verum. Quot enim *τήγανα* una *ἔσιζον*? adde quod *τήγανον* non potest *μολύνεσθαι*, corrumpi, dum *σίζει*; sed postquam destitit *σίζειν* humore consumto, tum corrumpitur, nisi ocius de foco tollitur. Denique *ὄψα ἐν τηγάνῳ σίζουσιν*, *οὐκ αὐτὸ τὸ τήγανον*. Aristophanes quidem loco a te laudato *τάγηνον τευθίδων σίζον* dixit *συνεκδοχι-*

κῶς· sed simpliciter τάγηνον σίζον sine illo τευθίδων vix opinor dixisset. Sect. 101. locus Pherecratis sic locandus et corrigendus,

— — πῶς ἂν οὖν κομίσειέ μοι
Τις θυμαλώπων ὧδε μεστὴν ἐσχάραν;

Sect. 102. Menandri locum sic scribe:

— — ἡγεῖται μ' ὅλως
Ἐπικόπανόν τι — —.

Me quidem plane mensam coquinariam quandam existimat. (adeo me verberibus concidit)
505 Sect. 103. Solonis jambum dolet mihi a te jugulatum esse, cum tuo πευσίδ. Quid? nonne ex illis οἱ μὲν satis constat, nullum vas anteivisse: οἱ μὲν enim semper inchoat: sed ipse versus illud tuum furcilla expellit. Scribendum, aut σπεύδουσι δ', aut διδοῦσι δ', aut simile quid trisyllabon. Sect. 105. locus Cratini, Ἐπέδωκεν βαλάνων ἄβακα τῶν ἐκ φιττέως. ubi Kuhnius corrigit Πιτθέως, scil. ex domo Pitthei. Frustra; quasi Pittheus Thesei avunculus in vivis esset aetate Cratini; Ceterum quis non videt locum quendam, ubi βάλανοι nascuntur, non hominem designari. Equidem sic legerim,

Ἐπέδωκε βαλάνων ἄβακα τῶν ἐκ Φελλέως.

Φελλεὺς locus Atticae notissimus, de quo vide Stephanum Byzantium, Suidam, alios. Aristophanes in Nubibus, *Ὅταν μὲν οὖν τὰς αἶγας ἐκ τοῦ Φελλέως.* et in Acharn. *Τὴν Στρυμοδώρου Θρᾶτταν ἐκ τοῦ Φελλέως.* Vide ibi *σχολ.* Sect. 107. in loco Eubuli, pro *Σικελικὰ*, quod *ἄμετρον* est, lege,

Καὶ πνικτὰ Σικελὰ πατανίων σωρεύματα.

et ibidem Antiphanis, tam hic, quam apud Athenaeum, lege,

— — *πουλύπους τετμημένος;* non *πολύπους.*

Sect. 110. locus Sophoclis mendosus est; qui 306
hinc et ex VII. 109. sic corrigendus:

— — *συνέλεγον τὰ ξύλ', ὡς ἐκκαυμάτων*
Μή μοι μεταξὺ προσδεεῖς εἶεν — —

ligna, ait, *collegerunt; ne interea carerent fomite ad ignem servandum.* Sect. 111. Euripidis versus Trochaicus est; nisi quod *οἴσειν* e loco suo ejectum sit: lege, *Τοὺς ὄνους τοὺς λαρκαγωγοὺς ἐξ ὄρους οἴσειν ξύλα* etc. vel forte, ut sententia continuetur, *λαρκαγωγοὺς, οἴσιν ἐξ ὄρους ξύλα* etc.

Sect. 116. Aristophanis locus sic distinguendus,

Καὶ διαστίλβονθ᾽ ὁρῶμεν
Ὥσπερ ἐν καινῷ λυχνούχῳ
Πάντα τῆς ἐξωμίδος.

Plura hujus generis extant apud Aristophanem.

Sect. 124. Theopompi locus sic locandus,

— — — — *χλαῖναν δέ σοι*
Λαβὼν παχεῖαν ἐπιβαλῶ Λακωνικήν.

Ibid. locus Sapphus egregius, frustra a magnis viris tentatus; quem nisi Prosodiae ductu nemo recte expediverit: *Ἐλθόντ᾽ ἐξ ὀρανῶ*
307 *πορφυρέαν ἔχοντα προϊεμένον χλάμυν.* Ego vero, quatuor primis vocabulis vix perlectis, statim odoratus sum, carmen esse Alcaicum, quale hoc Horatii;

Nullam | Vare sacra | vite prius | severis | arborem:

et illud Alcaei,

Μηδὲν | ἄλλο φυτεύ | σῃς πρότερον | δένδρεον | ἀμπέλω.

et aliquot Sapphus, ut quod extat apud Athenaeum p. 564. ubi *ὄσσοις* male pro *ὄσσε,*

Στᾶθι | κἄντι φίλος | καὶ τὰν ἐπ᾽ ὄσσ᾽ | ἀμπέτα | σον χάριν,

et apud Stobaeum, *Κατθα | νεῖσα δὲ κεῖσ᾽ |*

οὐδεπόκα | μναμοσύ | να σέθεν, et quae ibi sequuntur. Ergo certus conjecturae sic extemplo hunc locum refingebam:

Ἐλθόντ' | ἐξ ὀρανῶ | πορφυρέαν | πεῤῥέμε |
νον χλάμυν.

Venientem de coelo, purpurea chlamyde amictum. Nam pro προιέμενον quod et versus et sententia refugit, repono πεῤῥέμενον Aeolice pro περιείμενον· sic apud Hesychium, Πεῤῥεθήκατο, περιεθήκατο, et alia alibi plura. Quis vero tam caecus, ut jam non videat τὸ ἔχοντα ex margine fluxisse, interpretamentum scil. τοῦ πεῤῥέμενον.

Verba Diphili sect. 137. sic ordinanda sunt:

A. — — ὁ δὲ κανδύταλις 308
Οὗτος τί δύναται, καὶ τί ἐστιν; B. ὥσπερ ἂν
Εἴποις ἀορτάς — —

Duae personae, quarum altera quaerit, quid significet κανδύταλις; altera explicat per ἀορτάς. Multa similia hujus Diphili extant apud Athenaeum: videtur fuisse φορτικὸς in verborum exoticorum affectatione. Sect. 139. Posidippi locum ita digere:

— — σκήνας, ὄχους,
Ῥίσκους, ἀορτὰς, τάχα δὲ, λαμπήνας, ὄνους.

nam *τάχανα* nihil est; neque melius quid nunc succurrit.

Sect. 141. Nicochares in Cretensibus: *καὶ ὄπεας καὶ ὀπήτιον εἴρηται ἐν Νικοχάρους Κρησὶ, τοῖς τρυπάνοις ἀντίπαλον ὥσπερ Ἀρχιλόχειον.* Ita tu, mi amice, locum depravatum ulterius contaminasti: *Ὥσπερ* enim dedisti pro *ὦπερ* Seberi: atqui illud mendum erat typothetarum; voluit enim Seberus quod et Aldus et MSti habent *ὅπερ*. Deinde pro *Ἀρχιλόχειον*, Codices *ἀγχίλιον*. Ex hoc monstro, re metrica et ingenio fretus, sic tibi senarium restituo verum et genuinum,

Τοῖς τρυπάνοις ἀντίπαλον ὄπεας χίλιον.

509 Quippe in hoc versu aut *ὀπήτιον* aut *ὄπεας* inesse debere res ipsa clamitat: atqui prius a versu rejicitur, posterius latuit in *ὅπεραν*. Ergo in reliquis ne litera quidem mutata, et versus et sententia constat. *Ὄπεας χίλιον* idem est ac *ὀπέατα χίλια*; ut *ἵππος χιλίη*, *μυρίη*, etc. quae scio tibi nota esse. Verte autem, *Mille subulae quae terebris paria facere possint.* Videtur fuisse dialogus fabri cum cerdone; ille minabatur se *τοῖς τρυπάνοις* factum esse nescio quid: hic regerebat, se mille *ὀπέατα* adlaturum, quae illius

τρυπάνοις pares esse facile possent. Sect. 142. Platonis versus sic digere et scribe,

— — *βούλει τήνδε σοι πλεκτὴν καθῶ,*
Κἄπειτ' ἀνελκύσω σε δεῦρο — —

Sect. 143. Menandri versus Trochaicus est, *Ὡς ἔγωγ' ἀνειλόμην που σαυνίῳ πεπληγμένος.* Jam vero insignem Euripidis locum sect. 145. sanum, ni fallor, tibi exhibebo:

— — *πᾶς δὲ φασγάνῳ*
Ἐξηθέριζεν ὥστε πύρινον στάχυν,
Σπάθη κολούων φασγάνου μελανδέτου.

Nihil hic muto, nisi quod *στάγυν* addiderim, absorptum scilicet a sequente voce *σπάθη*. Sententiam recte cepit Jungermannus. *πύρινος στά-* 310
χυς, *spica triticea*. *ἐξαθερίζω* hic est *ἀθέρας*, *aristas*, detrunco, decutio. Quid clarius certiusve?

Sect. 150. Epistola ad Platonem in mendo cubat: *Οἱ περὶ Ἔραστον καὶ Κόρισκον Πλάτωνι ἐπιστέλλοντες γράφουσι, Ληνὸν Ἀσσίαν τῆς Σαρκοφάγου λίθου. Ὁ δὲ Φερεκράτης.* Verba illa, *Λην. Ἀσ. τ. Σαρ. λ.* sunt ex Epistola; reliqua sunt Pollucis. Dixerat ille inter *σοροποιοῦ* instrumenta esse et *ληνόν*· probat jam hujus Epistolae auctoritate. Quippe qui *ληνὸν Ἀσσίαν* nominaverant, de eadem re

postea ibi narrantes *σορὸν* apellant. Ergo eadem *ληνὸς* quae *σορός*. Ceterum *ἐπάγει* et *ἐπάγουσι*, saepe hoc sensu veniunt apud nostrum; vide modo sect. 10. 41. 127. Porro in sequente Pherecratis loco sect. 150. ita ordinandi sunt versus et Personae:

A. *Ἦ μὴν σὺ σαυτὸν μακαριεῖς, ὦ 'τὰν, ὅταν*
Αὐτοί σε κατορύττωσιν. B. *οὐ δῆτ' ἀλλ' ἐγὼ*
Τούτους πρότερον. οὗτοι δὲ μακαριοῦσί σφε.
Καί τοι πόθεν ληνοὺς τοσαύτας λήψομαι;

A. *Certe te beatum ipse dices, o amice, cum illi te sepeliant.* B. *non quidem, verum ipse eos prius sepeliam; et illi se beatos praedicabunt: Unde tamen tot loculos eis sepeliendis*
311 *comparabo? Ὦ 'τὰν* autem addidi; flagitante versu; quod absorptum est a verbo sequente. *μακαριοῦσί σφε. beabunt se ipsi.* Cur autem aut hic aut illi *μακαριοῦσι* se, cum sepeliuntur? nempe ob funus egregie factum, et sepulcrum magno sumtu extructum. Loquitur autem aliquis, qui multos cognatos habuerit, bonis ejus inhiantes, et mortem ejus expectantes: quos ille se occupaturum minatur, et fore illis superstitem. Immo vero, jam melius quid habeo,

quod sub calamo modo nascitur. Deleas velim illud *σφε*, et cum vulgatis legas *οὗτοι δὲ μακαριοῦσ' ἐμέ.* Sententia autem haec videtur. Cum laudasset ille nescio quis fortunas suas, tum ob alia, tum ob firmam, credo, valetudinem, etsi strenue nepotaretur; Hunc alter excipiens, Ita vero, ait *εἰρωνικῶς*, tum fortunas tuas laudabis, cum cognati tui te mox sepelient. Non, non, subjungit ille, Equidem eos omnes componam, et *μακαριοῦσι με* superstitem et sanum. Sect. 151. locum ex Tagenistis sic colloca;

—— ὁ δὲ λύων κύστιν ὕειαν
Κᾆτ' ἐξαιρῶν τοὺς δαρεικούς. ——

Sunt membra versus Anapaestici, Aristophanei dicti. Cum Kuhnii versiculum hic lego, vix possum nauseam compescere. Neque eo melior
est Jungermanni jambus sect. 154. in Lysippi 312
Bacchis. Tu vero locum sic constitue, ut membrum sit Anapaestici Aristophanei,

—— *αὐτοῖς αὐλοῖς ὁρμᾷ καὶ γλωττοκομείῳ.*

Tibicen, inquit, *irruit una cum tibiis et glottocomio. Αὐτοῖς* eo sensu passim apud Atticos occurrit, pro *σὺν αὐτοῖς;* quod tu optime nosti. Ibid. Metri ratio satis indicat, tam in Timoclis

loco, quam Apollodori *γλωττόκομον* legendum esse, non *γλωττοκομεῖον*. Lege itaque, *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ ἀγγείου γλωττόκομον* etc. et deinde membrum pone senarii — — *καὶ τὸ γλωττόκομον βαλανεύεται*. Porro sect. 160. sanus erat Sophoclis locus, neque sollicitandus,

Κέστρᾳ σιδηρᾷ πλευρὰ καὶ κατὰ ῥάχιν
Ἤλαυνε παίων — —

Agitabat prae se hominem, verberans super latera et dorsum κέστρα ferrea. Eleganter illud *πλευρὰ καὶ κατὰ ῥάχιν*, hoc est *κατὰ πλευρὰ καὶ ῥάχιν*; quale illud Anacreontis, *Ἢ Νεῖλον ἢ 'πὶ Μέμφιν*. Ceterum *κατὰ* hic ultimam producit ob *τὸ ρ* sequens.

Sect. 162. Dolet, te repudiasse emendationem certissimam,

Καὶ τὴν κυνῆν ἔχειν με κυρβασίαν ἐρεῖς.

313 *Pileum autem dices me instar tiarae habere; adeo magnificus est scilicet.* Quid aptius vel desiderari possit? et illud tuum *κοινὴν* quorsum spectat? *dices me habere communem tiaram:* nimirum, non esse regem. *τίς ὁ νοῦς;* dubiumne id esse potuit? Sed ex metro solo utique constat, legendum esse *κυνῆν*· cujus argumenti vim et *πειθανάγκην* soli artis periti possunt agnoscere. Sect. 174. locus Teleclidae

Δουλοπόνηρον ῥυπαρὸν σκόλυθρον.

est Anapaesticus, et bene habet. Mox sect. 165. legendum,

Σκάλμη γὰρ ὄρχεις βασιλὶς ἐκτέμνουσ᾽ ἐμούς.

σκάλμη βασιλὶς, *culter regius*. *Βασιλὶς* adjective hic ponitur, ut alia similia passim. Eunuchus autem loquitur hoc, significans, se jussu regis castratum esse, ut a cubiculo esset vel ei vel uxori: solae enim, ut ille ait, Eunuchis utebantur reginae. Citius autem caelum ipsum dirueris, quam illud *βασιλεῖς*, cui tu patrocinaris, invito metro hic possit consistere; ut de sententia ipsa et constructione nihil dicam. Illud quoque corrigendum ibidem in Hermippi loco, *ἀσπιδεῖον*, non *ἀσπίδιον*,

Ἔχοντες ἴσον ἀσπιδεῖον ὀγκίῳ. est enim senarius.

Sectione autem 167. in Philippidae loco, vel 314
cum Salmasio legendum,

Ἁλύσιον εἶχε τέτταρας δραχμὰς ἄγον,

quod verum puto, vel, si illud quovis pacto retinere vis, lege,

Ἁλύσιον εἶχε τετταράκοντ᾽ ἄγον δραχμάς.

Sect. 176. *Ὁλκεῖον* rectum esse, non *ὅλκιον*, Menandri locus ostendit, sic digerendus;

— — ἢ χαλκοῦν μέγα Ὁλκεῖον — —

et alter Philemonis,

Ὁλκεῖον εἶδον ἐπὶ τραπέζῃ κείμενον,
Πυρῶν τε μεστόν — —

Vapulet vero Kuhnius cum versiculis suis, quibus nec caput, nec pes adest. Sect. 180. locus Aristophanis duos continet Anapaesticos cum Paroemiaco eos claudente; ut fieri solet tum apud illum scriptorem, tum omnes Tragicos,

Καὶ τοὺς μὲν ὄφεις, οὓς ἐπιπέμπεις,
Ἐν κίστῃ που κατασήμηναι
Καὶ παῦσαι φαρμακοπωλῶν.

315 Porro Capanei haec verba esse conjicio, qui in Dramate hoc Satyrico Amphiaraum augurem ludificatur. Sect. 181. Theopompi locum sic constitue, ex lege metri, ut antea l. VII.

Τηνδὶ περιζωσάμενος ᾤαν λουτρίδα,
Κατάδεσμον ἥβης περιπέτασον — —

et mox ibidem Pherecratis locum sic emenda,

Ἤδη μὲν ᾤαν λουμένῳ προζώννυτε.

Scis sine dubio, *αι* et *ε* in libris scriptis passim inter se permutari. *Jam*, ait, *vos illi lavanti pellem circumligate.* Sectione autem 185. quicquid obtendant Pollucis tui codices, uti et

Suidae et Harpocrationis, legendum credo πλίνθιον, non πλινθεῖον, ex fragmento illo Aristophanis, quod membrum est Tetrametri Catalectici,

— — ὁ δ' ἐς τὸ πλίνθιον γενόμενος ἐξέτρεψε,

Ille vero, ubi venerat ad locum quo lateres fiebant, divertebat.

Quippe apud Atticos loca rerum venalium et res 316
ipsae venales eodem nomine signabantur, ipso Polluce indicante libb. IX. et X. Sic dicebant ἐς τοὖψον, ἐς τὰ μύρα, ἐς τὸν χλωρὸν τύρον, ἐς τὰ ἀνδράποδα, ἐς τὸν οἶνον, ἐς τοὔλαιον, ἐς τὰς χύτρας, ἐς τὸν λιβανωτὸν, etc. Ergo ἐς τὸ πλίνθιον eodem modo, ad locum ubi πλίνθιον fiebat, vel venibat. Nisi forte ἐς τὰ πλίνθια potius dicendum fuisse contendat aliquis. Ille vero sic locum constituat, eodem versus genere,

Ὁ δ' ἐς τὸ πλινθεῖον γενόμενος ἐξέτρεψε — —

Sect. 188. Recte habet codex Vossianus τὴν γοῦν in Aristophanis loco, qui sic digerendus:

— — τὴν γοῦν ἀσπίδα,
Ἐπίθημα τῷ φρέατι παράθες εὐθέως.

τὸ φρέατι secundam producit.

Sect. 189. Legere possis, *μὴ λίγδος καλεῖται, nunquid vocatur λίγδος;* videtur enim dubitare, unde addit, *ὅθεν καὶ Σοφοκλῆς ἔφη;* cujus locus sic videtur legendus,

Ἀσπὶς μὲν, ἥ μοι, λίγδος ὡς, πυκνομματεῖ.

Sane mirifice arridet Kuhnii illa correctio *πυκνομματεῖ. Πατεῖ* quid hic faciat, non intelligo. Sect. 190. Platonis Comici locum sic divide,

— — *δότω δὲ τὴν κιθάραν τις ἔνδοθεν*
Καὶ τοὐπικόρπαμ' — —

317 Ibid. Anaxilae locus sic legendus, *Οὐκ ἄν γε μὴ τουτὶ γένηται κεράμινον.* Denique loco ultimo sect. 192. pro inficetis illis *senariis* Kuhnii, quos Eupolidi de suo donat, hos ille habeat aliquanto meliores,

— — *καρδόπω δύο,*
Κρατῆρας ὀκτὼ, δύο χύτρα, δύο τρυβλίω,
Κνέφαλά τε καὶ (vel *Κνέφαλα τρία*) *θέρμαυστριν, ἓξ θρόνους, . . .*
Κλίνας ἑκατὸν, κόρημα, κιβωτὸν, λύχνον.

Pro *χύτραν* versu tertio, quod jam praecesserat, neque repeti debuit repones *σκάφην*, vel *λίραν*, vel simile quid, quod propius accedat.

Nobis ad indagandum fugitivum illud nunc non est otium. Defessus enim sum taedio scribendi; quod longe majore opera mihi constitit, quam emendationes ipsae. Tu vero, doctissime et amicissime Hemsterhusi, si quid hinc frugis colligere possis ad curas tuas secundas, quas in Polluce te positurum narras, utere, fruere, jure tuo et arbitratu. Ubi id tempus venerit, videbimus forte, an in ceteris hujus libris aliquid nobis occurrat, quod doctissimos editores fugerit. Etsi, ut verum fatear, rationem consilii tui nondum perspicio. Quis enim typographus librum denuo recudet, mole sua et pretio laborantem? Ecquando omnia nuperae Editionis exemplaria divendentur? Tu igitur certiores 318
nos facies, quo pacto et quo instituto iterum, ut narras, auctorem hunc aggredi velis. Vale, vir eruditissime, et me, quod facis, amare perge. Cantabrigiae, IX. die Junii MDCCVIII.

APPENDIX.

319 18. [Ep. LXXXIV.]

MR. R. DAWES TO THE REV. DR. TAYLOR.

Newcastle, May 31st.

SIR,

Be pleased to accept of my most hearty congratulation upon your late preferment, and thanks for the favor and honour of your letter.

The point controverted between us stands thus: You had advanced, that the ancient Greeks expressed the power *EI* by the single vowel *E*. The authorities, to which you had appealed, seemed to me, and still seem, to be inconclusive. I took the liberty to hint such objections as the principal of those authorities appeared liable to, desiring at the same time, that, if you was furnished with any more, you would be so kind as to communicate them.
320 This favor you very readily granted. You likewise proceeded to make a reply to the objections, which I had hinted. I shall now in my turn offer my sentiments upon each particular of your letter, flattering myself, that I shall make it appear, that the authorities, upon

which you build your hypothesis, are not able to support it.

The first is that of Victorinus, which you thus cite: *E* et *O* ternas habebant apud eos [Graecos] potestates. But I am persuaded, that you will find reason, upon second thoughts, to acknowledge, that the grammarian is there treating upon the triple power not of the Greek but of the Latin E; and that the third power, which he mentions, is what obtained, when E in Latin words answered to *EI* in the Greek ones, from which they were formed, as in *Homeréus*, *Diomedéus*, etc. in Greek Ὁμήρειος, Διομήδειος, etc. I should write the passage thus: Nostri Latini cum literis uterentur, quas a Graecis acceperant, *A*, *B*, etc. (et Graeci vocales habebant totidem quot et nos *A*, *E*, etc. nam *H* et *Ω* postea sunt ab his repertae), *E* et *O* ternas habebant apud eos [Latinos] potestates, ut *E* esset breve et productum, I autem longum quodammodo sonaret cum ex [Graecis] *E* et *I* ductum esset. To suppose Victorinus here treating upon the Greek *E* makes him inconsistent with himself; for in the very next 321 page he tells us expressly, that amongst the Greeks *O* was indeed allowed a *triple* power,

but that *E* had only a *double* one: Apud Graecos autem — *E* — duarum obtinet vicem brevis et producta; *O* vero et pro brevi, et pro longa, et pro *U* posita est. He tells us much the same thing in another passage, which you yourself have quoted, pag. 7. of your Commentary: Significaveram, priusquam Graecis inter vocales repertae sunt *H* et *Ω*, vicem earum tam apud illos quam apud nos explesse *E* et *O*; O etiam scribi solitam pro *OΥ*. Surely he would have added uti et *E* pro *EI*, or something tantamount, if he had before intended to suggest any such thing. His silence in this respect has the force of a negation; dum tacet, clamat. Thus we find, that Victorinus, instead of confirming your hypothesis, declares clearly against it.

The second authority, which you produce, is that of Athenaeus: *Παντες οἱ ἀρχαιοι τῳ ΟΥ ἀντι του Ο στοιχειου προσεχρωντο, παραπλησιως και τῳ ΕΙ ἀντι του Ε.* These words you say are interpreted by the critics, as if the author had said, „The Ancients used *OΥ* and *O*, *EI* and *E* promiscuously.“ The critics must excuse me, if I cannot concur with them in being so liberal to Athenaeus, as to bestow

upon this passage just twice as much meaning as it ever had in it. He tells us only, that the 322
Ancients used *OY* instead of *O*, and *EI* instead of *E*: but as to the converse he is entirely silent. This observation of Athenaeus, I presume relates to such words as *νουσος* and *ξεινος*, instead of *νοσος* and *ξενος*. If this be the case, it either does not affect the present controversy, or makes against your hypothesis. I could wish you had referred me to the page, where it occurs in Casaubon's edition. But you have contrived a method by transposing the author's words to make him affirm the converse of what has hitherto been his constant doctrine. But the ancient system of grammar, you say, requires this transposition. It indeed allows of it, as far as *O* and *OW* are concerned; but this, with submission, is all that it does.

Your next quotation is from Plato: *Οἱ ἀρχαιοτατοι ἱμεραν την ἡμεραν ἐκαλουν, οἱ δε ἑμεραν*. You are welcome to add, if you please, *οἱ δε ἐτι και εἱμεραν*, for even so the passage will have no relation to any thing, which I maintain. It does not at all concern my cause, in how many different manners soever, any

word was at different times or at the same time written. All that I contend for is, that the same Greeks, who wrote *E*, never pronounced it *EI*, any otherwise than as *A* was pronoun-
323 ced *ΑΛΦΑ*, that is, when its name, not its power, was considered. I shall here take occasion to offer my sentiments concerning the passages in Mich. Apostolius and Plutarch. pagg. 8 and 9 of your Commentary. I am persuaded, that the emendations you have suggested to be necessary have proceeded from a mistake about the meaning of those authors. When the former says, *γραψας μικρον ΟΥ*, and the latter, *ΟΥ μεγα γραψαντες*, they mean not the *diphthong*, as you apprehended, but the *vowel* called *ΟΥ*, that is *Ο*. It was the general, if not universal, custom of the Greek writers to express the *letters* not by their *character*, but by their *name*. This you will find to prevail quite through Lucian's *Δικη Φωνηεντων*.

You procede in the next place to cite from the Sigean Inscription, *ΜΕΛΕΔΑΙΝΕΝ* and *ΕΠΟΕΙΣΕΝ*. The former word in Shuckford's copy, appears in this manner, *ΜΕΛΕ-ΔΑ-ΙΝΕΝ*. If the other copy, which you mention, exhibits the same representation, I

should desire to know, what account you give of the vacant space betwixt the two letters *Δ* and *I*; for you have brought those letters together. I account for that vacant space by supposing it to be only misplaced, and that it should be thus represented *ΜΕΛΕΔΑΙΝΕ* –
Ν. By this means we have room for the *I* ne- 324
cessary to the completion of *ΜΕΛΕΔΑΙΝΕΙΝ*. I had no thoughts of having recourse to the Doric dialect in order to solve an appearance in an inscription manifestly Attic. I have been for some time fully satisfied, that different dialects were never mixed by any of the γόνιμοι Greeks. But supposing the other copy of the inscription exhibits *ΜΕΛΕΔΑΙΝΕΝ* without any such interstice as appears in Shuckford's, I shall oppose the one to the other, that so the authority of both may be destroyed. As to the other word *ΕΠΟΕΙΣΕΝ*, which you say shews, that *Ε* and *ΕΙ* were convertible; all that I can gather from thence is, that *Ε* and *I* were capable of being by inaccuracy transposed, that is, that *ΕΠΟΕΙΣΕΝ* might be written instead of *ΕΠΟΙΕΣΕΝ*. For I think there is no reason to imagine, that this verb was ever used by the Greeks without the *I* subjoyned to the *O*. That it has sometimes that

form in the present editt. and perhaps MSS. amounts to nothing; nor is it of any moment, that *ποιειν* often has the first syllable short, for indeed it cannot be otherwise, unless the *I* be doubled in pronunciation. But to allow, that there is no blunder in the form *ΕΠΟΕΙΣΕΝ*, it can only be an argument, that *ΕΙ* was some-
325 times used instead of the common way of writing *H*. But this is foreign to the present dispute.

Instead of *ΕΙΜΙ* and *ΣΙΓΕΥΕΥΣΙ*, which are in Shuckford's copy, the other as you acquaint me has *ΕΜΙ* and *ΣΥΚΕΕΥΣΙΝ*. Such a difference as this disqualifies both copies for being of any authority with respect to these two words: nay, the credit of the whole inscription is affected by it. Let me add, that, probably, at least, they both give the latter word an absurd form. There seems to be no reason for doubting, that it should be *ΣΙΓΕΙΕΥΣΙΝ* according to that of *ΣΙΓΕΙΕΣ*. Upon the whole, no part of the inscription can be justly allowed to have any weight in the present controversy, except the two words *ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ* and *ΣΙΓΕΙΕΣ*; and for whether of us these declare, I need not mention. And here be pleased to consider, whether it would not have

been an extravagant wantonness to intend, that the latter *E* in *ΣΙΓΕΙΕΣ* should be pronounced *EI*, when this very power is in the preceding syllable expressed in full. You meet with nothing similar in the use of *O*.

Another authority referred to in your Commentary is the Delian Inscription. To this I objected, that the inscription was Aeolic, and
that, therefore, the power of the verb *EMI* 326
was there not *EIMI* but *HMI*. You reply, „1st. If I maintain, that *EMI* is archaice for *EIMI*, and you, that it is 'Aeolice, our assertions are not binding, the one upon the other; but there must be some third judgment, some other topic to be concluded by." I answer, that supposing neither of us could give a reason, whereby his hypothesis might appear the more probable, our assertions would amount to no more than if we had both been silent. So that even upon that footing the authority of this inscription would be set aside; and that would be enough for my purpose. But further the digamma *F*, which appears in the inscription, is a strong argument for its being Aeolic: for that the digamma was peculiar to that dialect is at least highly probable from the epithet constantly given it. The inscription has

still further marks of Aeolism: for if it was not Aeolic, there is no doubt to be made, but that we should have there had *ΤΟF ΑFΤΟF ΛΙΘΟF*, not *ΤΟ ΑFΤΟ ΛΙΘΟ:* for why should the power of the aspiration Waw be left to be thrice understood, when 'tis plain, that a character expressive of it was ready at hand? The reason of our meeting with such instances as *ΔΙΟΝΥΣΟ* is, that in other parts
327 of Greece there was no capital charaeter denoting the aspiration *Waw*. This, as well as the other aspiration *He*, was left to be supplied by the common norma loquendi. On the contrary, supposing the inscription to be Aeolic, it will be liable to no such objection; the power of the words will be *τω αυτω λιθω ημι*. The *Υ*, wich I have prefixed to the *Ο*, is absolutely necessary; for *αυτος* destitute of the article never means *the same*. Now my hand is in, I shall add another conjecture about the genuine form of this inscription, which I am persuaded has been still further corrupted. The reading, which now prevails, is no verse; and the language, when considered as prose, is vitious. The nature of prose requires the article along with *ανδριας*, as well as with *σφελας*, *ὁ ἀνδριας*, or rather *ὁ τε αν-*

δριας και το σφελας. And now we have no sooner rectified the language, but what confirms the emendation instead of prose there turns out a complete Jambic verse, to be thus pronounced, Τωντω λιθωμ' ὁ τ' ἀνδριας και το σφελας. or Τωντω λιθω ημ'; for the Aeolians might perhaps allow of this hiatus, though the Athenians did not. The *Υ* in *ΑFΥΤΟ* I imagine has been written near the *F* in the later times, by way of explication of the ancient power of that figure; for what is now written *αυτος* is never used as a trisyllable.

You procede „2dly, If I allow you your 328
opinion, it does by no means conclude against mine. For instance, if the Aeolians wrote *HMI*, and the more modern Greeks *EIMI*, does it therefore follow, that the more ancient Greeks did not write *EMI?* For be pleased to observe, that you are bound to maintain a negative illation.“ You must mean an illation universally negative. But, with submission, I conceive the case to be of a very different nature. You assert, that what was written *E* by the ancient Greeks was sometimes pronounced *EI:* and as a proof of this you appeal to *EMI* in the Delian inscription. But this amounts

to no proof, unless it be impossible; that *EMI* in that inscription should have any other power than *EIMI*. Whereas I have assigned another power indisputably possible, nay highly probable, or rather certainly true.

Lastly, if the Delian inscription be, as I maintain, Aeolic, 'tis plain, that your account of dialects and archaism is not applicable to it. By your account, the distinction of dialects, as far as relates to the powers ημι and ειμι, did not take place, till the character *H* was introduced. But, according to my explication, we have in this inscription the power ημι in
329 the form εμι. So that your notion of archaism and mine of dialects are found not to coincide.

I am preparing for the press a volume in the critical way, (which I shall desire the favour of you to revise), with the following inscription: Emendationes in Poëtas Graecos, Aristophanem, Euripidem, Sophoclem, Aeschylum, Callimachum, Theocritum, Pindarum, Hesiodum, Homerum. Praemittitur dissertatio de praecipuis Poëtarum dramaticorum metris, ut et de Accentibus cum ψευδωνυμοις tum veris. Hanc excipiunt Animadversiones in Cl. Bentleii Emen-

dationes in duas priores Aristophanis Fabulas. In praefatione autem disseritur de aspiratione *Vau* prout in sermone Homerico obtinebat. Agmen extremum claudunt alterae Animadversiones in Phileleutheri Lipsiensis sive Bentleii Emendationes in Menandri et Philemonis Reliquias. I have a pretty large apparatus, out of which these emendations will be selected; upon Aristophanes in particular about 1500. For one of these I am in a great measure obliged to a conjecture of yours, Lect. Lys. p. 686. For the nonsensical *αναπολεισθαι* you write *ἀπολισθαινει*. But we have by this means a Dactyl in the beginning of a Trochaic verse, contrary to the laws of that. By the way, the true writing of the verb you have offered is 330
απολισθανει. I read *αν απολισθοι*. This reading you will find preferable to your conjecture, even in point of diction. I need not mention its conformity to the laws of the Trochaic verse, or the proximity of its form to that of the common lection.

Your company at Newcastle will give very great pleasure to, Sir,

Your obliged humble Servant

R. Dawes.

P. S. I am afraid, that the only subscription for your Demosthenes, which I shall be able to send you, will be my own. The good people in this part of the world are not very fond of Greek. Please to send me a transcript of the other reading of the Sigean inscription.

ADDITAMENTA.

A.

R. BENTLEII EPISTOLAE

AD I. BARNESIUM ET L. KUESTERUM

SCRIPTAE.

B.

R. BENTLEII EPISTOLA

AD G. RICHTERUM SCRIPTA.

C.

G. HERMANNI DISSERTATIO

DE

R. BENTLEIO EIUSQUE EDITIONE TERENTII.

ADDITAMENTA.

A.

EPISTOLAE

EDITAE IN MUSEO CRITICO CANTABRIGIENSI

a. 1821. No. VII. p. 403 — 456.

The reader is now presented with part of Dr. Bent- 403
ley's Correspondence which is here printed for the first time. The Letter to Ioshua Barnes respecting the authenticity of the Epistles attributed to Euripides, was written at the beginning of the year 1693, in reply to some enquiries which Bentley had received from him upon this subject. Barnes was at that time engaged in preparing his edition of Euripides for the press, and having heard from some friend that Bentley considered these productions supposititious, wrote to enquire his reasons for this opinion. This letter is the same which Bentley speaks of in his 'Dissertation on Euripides's Epistles', p. 121. (ed. Bowyer, p. 419.) it is copied from the original, lately presented to the British Museum by the possessor, Mr. Holme.

The others are a specimen of a very large and valuable collection of Letters to Bentley, with copies of some of his Answers, which having been successively the property of Dr. Richard Bentley of Nailstone, his Nephew and Executor, and of the late

Mr. Richard Cumberland his Grandson, were presented by the latter, many years ago, to Trinity College. It contains the letters of Spanheim, Graevius, Kuster, Hemsterhuis, Reland, Wetstein, Peter Burmann, Francis Burmann, Perizonius, Dorville, and many other distinguished literary characters, with whom Bentley
404 was in the habits of intimate correspondence at different periods of his life. These original documents, which were supposed to have been lost, were discovered in the Lodge of Trinity College, upon the death of the late Master. Of this whole collection not more than three or four have ever been before the world.

Of the *Epistolae Criticae* addressed to Kuster, it is necessary to remark, that they are the original vehicles by which Bentley conveyed his observations upon the two first Plays of Aristophanes. Kuster, who was then publishing his edition with extreme haste, dissected Bentley's letters, and put them into the form of notes, in a manner very different from the intention of the writer; carefully omitting all particulars in which his own observations, which were already printed, had anticipated those of his illustrious correspondent. It is therefore due to the fame of Bentley, to give these documents in their genuine form. He wrote *three* letters upon the subject of Aristophanes: but only the two last are found in this collection: of the first he probably did not preserve a copy.

I.

405 AT THE PALACE IN WORCESTER,

Feb. 22, $169\frac{2}{3}$.

SIR,

That the Epistles, which are ascribed to Euripides are supposititious, I ever believed since I first read them, and 'tis likely shall continue to do so still; but as for *arguments*, to prove them spurious, perhaps there are none that will convince any person,

that doth not discover it by himself: 'tis always so, when there are no external proofs and testimonies to be had; but the verdict must be given from the intrinsic evidence, then every man passeth his own judgment according to his genius and proficiency: and there can be no final determination of such matters without an infallible judge. A late ingenious author *) admires the Epistles of Phalaris above any other prose in that language, and makes it an argument for the decay of human wit; because Homer and that work are the ancientest and the best also in their kinds. Now I would *ask him, what* dialect they wrote and spoke in Sicily? and if Stesichorus (the supposed great acquaintance of Phalaris) did not use the Doric? I believe if this had come into his mind, it might have convinced him, that they could not be genuine. But what if we had wanted this argument? there had been nothing else to be done, but to let him enjoy his own opinion *sine rivali.* If a man cannot perceive by himself that they are the work of some Sophist, he may acquiesce perhaps in another man's judgment, but he cannot be convinced and understand that they are so. The sham Letters of Theano and Heraclitus may be detected the same way; for the first wrote in Doric and the latter in Ionic. Well, you say, Euripides's are 'purely Attic', and therefore must not be rejected on that account. To wave any controversy about so nice a matter, suppose that they be so; so are Socrates's as much; those also ascribed to Themistocles, 406
and Diogenes: yet who can believe them to be really theirs? Neither will the Ionic dialect of those that are fathered on Hippocrates, and Democritus, persuade me that they are genuine.

All these are the forgeries and impostures of the

*) Sir William Temple.

Sophists: they searched into the history of the persons that they designed to personate, and so adapted their letters to their circumstances. This was in great credit among them to follow the character of the person well, and suit the affairs of their times: a man got reputation by it, and it was owned at first by the true authors: but in time they were forgot, and the personated writers kept their titles. They made it an exercise to counterfeit thus; as much as Ovid did, when he wrote Epistles in the names of heroes and heroines. So Mithridates tells you in the prologue to Brutus's Epistles that he made feigned answers from the persons and cities that Brutus had wrote to: though any man that hath νοῦς and sagacity will perceive that there is a double and triple sham in that story: and, Sir, as when I read a tragedy of Euripides, I could tell (without any knowledge of the writer) that they are but representations, and not the true actions and discourses of the persons in the Drama; because I could know that men in those circumstances could not talk at that rate; so methinks by the very Letters themselves I presently discern that 'tis not Euripides himself that here discourseth, but a puny Sophist that acts him.

And it may be that those very passages from whence you take 'arguments to overthrow Meursius' do give me grounds of suspicion that they are illegitimate; as that they are all written to Archelaus, Sophocles, and Cephisophon; which any pedant might know were persons concerned in Euripides's story, I take to be *magnum signum*. And for the argument and subject of them, in those to Archelaus we have the refusing 'a great present of money', and instead of money begging 'the lives and freedom of some that were condemned to die'. Were not these and such like the common themes of such scholastics and *ἀρεταλόγοι*? And 'tis pretty, that those prisoners and their father, though the εὐγενέστατοι of their country, had

no names at all, or else concealed them from their benefactor Euripides, so that he petitioned indefinitely for some 'young men of Pella'. This Sophist has been 407
a great dunce; some service must be done to the Pellaeans by all means, because he had read that Euripides lay buried at Pella; but why could not he invent some name for them, as easy as invent the whole story? But the Letter to Sophocles is most admirable. Sophocles his contemporary and ὁμότεχνος must certainly be a correspondent: but because they had no penny post at Athens, therefore a letter must be written to him while he was absent from thence: now he knew that Sophocles was one of the Athenian Generals in the war with the Samians, and that he touched at Chios (in Athenaeus, p. 60.) therefore thither a letter is directed; and let us hear about what? condoling that he had lost *some plays in Shipwreck*. Alas! alas! so Terence lost an 108 plays in the sea, and himself too. But our sham author had forgot Sophocles's errand; that he was now the General and not the Poet, and if he had had some plays before hand, he would not have carried them to the war; for I presume he did not use them, as our soldiers do quires of paper, for a defence against bullets. But why must Euripides of all folks be concerned for their loss, his antagonist and emulator? καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ. You may see a lampoon of one against the other in Athenaeus. If these plays had been preserved they would have been acted against those of Euripides; as many before had been: when sometimes one got the victory, and sometimes the other; and it was scarce thought a less prize to be crowned Poet Victor at the Dionysian feasts, than Conqueror at the Olympian Games. And the pleasantest of all is that τὰ οἴκοι ἴσθι κατὰ νοῦν καὶ ἐπέστειλας ἐπιτελῆ ὄντα. It seems they are such very great cronies that one commits the care

of his domestic affairs to the other: *mihi quidem non hercle fit verisimile*, as Davus says. But have we any better luck in the letter to Cephisophon out of Macedonia? This Cephisophon was thought once to help Euripides in writing plays; but at last he was taken in bed with his wife: for which poor Euripides was so jeered upon the stage by the comedians, that it is thought for this very reason he left Athens and went to Archelaus. And yet this Cephisophon must be the man, that he corresponds with from thence; and the worthy occasion of writing is, to justify 'his leaving
408 Athens' against the calumnies of his enemies. And what have we here, but more refusing of money, some thousands of pounds; some stuff against covetousness etc. *ἐκ ληκύθου τῶν σοφιστῶν*; the prating of Aristophanes against him (I, to be sure do not omit that) that surely he cannot desire riches now, when his own dear mother was dead. (I, there's an argument indeed; it would have been all for the sake of gammer Clito the old herbwoman). And, good man, it forebodes him that he shall 'lay his bones' *ἐν γῇ βαρβάρῳ*; and never see Athens again: well done, Sophist, thou knewest, that he was worried there by a pack of hounds, and so wouldst give us that hint.

But, Sir, you now see what I said at first, that I believe indeed that they are spurious Letters; but arguments to convince another man I have none. Therefore when you confute Meursius, I desire that you would not name me *); for I do not pretend to assert, but only to believe, they are shams. I am glad to hear all the fragments are prepared: they will make a little folio themselves, and will much commend your edition. Sir, I am your's to command,

Rich. Bentley.

*) See Barnes, *Vita Euripidis*, §. 28., and his preliminary Remarks on the Epistles.

Sir, I am very glad, if any thing that I have published can be serviceable to your design: and shall count it an honour to be mentioned in so great a work. Papers, ready, I have none, and I cannot here make any review, being absent from my books of that kind, and engaged in other affairs: and 'tis likely yourself may have prevented me in most things: so I can only wish you good success.

II.

VIRO ILLUSTRI ET ERUDITISSIMO RICH. BENTLEIO, 409

S. P. D. LUDOLPHUS KUSTERUS.

Cum juvenis eximius et doctus, Ankersenius, natione Danus, Cantabrigiam profecturus esset, nolui ei petenti nihil ad te literarum dare, quibus aditum ipsi aperirem ad amicitiam tuam, qua eum omnino dignum putabam. Cognosces enim eum hominem, non solum verae eruditionis amantissimum, sed etiam in melioribus literis apprime versatum, et qui viros tui similes, id est, Musarum Coryphaeos, quam maximi faciat. Per plures menses Cantabrigiae commorari decrevit, Orientalium praecipue literarum gratia, in quibus Sikio nostro utetur doctore. Aristophanes meus praelum strenue nunc exercet; Textum dico cum veteribus Scholiis. Nam notae meae, et aliorum, ut jam ante scripsi, ad calcem totius operis rejicientur. *In iis elaborandis nunc praecipue occupatus sum,* et quidem meliore, quam speraveram, successu. Nam non solum plurima Comici hujus loca corrupta pristinae integritati, ut spero, restituam, sed etiam non pauca nova, et aliis, ni fallor, indicta, de Atticismo praecipue veterum Lectorem in iis docebo. Quinquaginta circiter vel sexaginta ex notis meis in priorem partem Pluti cum Clarissimo Clerico, id ipsum a me petente, communicavi, qui eas

Tomo illi Bibliothecae suae selectae, qui propediem in lucem prodibit, speciminis loco inseruit; tu igitur si forte ad manus tuas pervenerit, perspicere inde poteris, si tanti tibi videbitur, quid de lucubrationibus meis in Aristophanem sperandum sit. Ne tamen nullum tibi dem Notarum mearum πρόγευμα, unam saltem hic subjiciam observatiunculam, adhuc valde recentem, et ut ita dicam, ἔτι γλυφάνοιο προσόζουσαν, in locum quendam Thesmophoriaz. v. 853. p. 812. Ed. Genev. ubi Mnesilochus Euripidem jam pridem exspectans, et morae tandem impatiens inquit: Ἰλλὸς γεγένημαι προσδοκῶν. (*Dein subjungit adnotationem prout exstat in editione Aristophanis*, p. 22.) Haec observatio si tibi placuerit, est quod mihi gratuler. Nam nullius judicio in literis hisce plus tribuo quam tuo. Sed de hisce satis, vel etiam plus satis. De notis tuis in Aristophanem quid constitutum tibi sit, scire cupio. Puto optimum fore, si mecum demum communicentur, postquam meas notas ad finem pene perduxero, ut sic tuae animadversiones ad calcem reliquarum solae et a reliquis separatae (nisi tibi aliter visum fuerit) ponantur. Casauboni observationes in Aristophanem, nondum editas, Parisiis expecto. Inde etiam propediem mihi mittetur Palaeographia Graeca Domini Montfauconii (qui nuper *Diarium Italicum* edidit) de quo opere praeclara quaeque mihi polliceor. Non pauca alia opera non exigui momenti et ponderis (quod miraberis forsan) nunc Parisiis sub praelo sudant: veluti Antiquitates Constantinopolitanae: Ioh. Damasceni Opera omnia, in quibus *Parallela* ejus nunc primum Graece edentur: Thesaurus linguae Graecae hodiernae: Collectio Conciliorum omnium: Homerus: Bibliotheca sacra, complectens omnes sacrorum Bibliorum tum textus, tum cujuslibet versionis Editiones, etc. Ibidem Dominus Caperonnier singulari stipendio ab Universitate Parisiensi conductus est, ut novam editionem Eustathii in Homerum cum versione Latina ador-

net: quod tamen miror; nam ejusmodi scriptor non erat Latine vertendus. Caeterum de hisce et multis aliis novis literariis me ante paucos demum dies per literas certiorem fecit magnus in Gallia literarum patronus, Abbas Bignonius. Horatius tuus mirifice expectatur. Quare ne, quaeso, desiderium eruditorum diutius moreris, sed eum tandem in lucem exire sinas. Sed tempus est ut coronidem tandem epistolae huic imponam. Quare nihil amplius addam quam ut bene valeas, et me amare pergas.

Amstelod. 1. April 1708.

P. S. Frankio jam ante plures menses in Angliam reverso epistolam ad te dedi quam spero te accepisse.

Viro Illustri Richardo Bentlejo,
Cantabrigiam.

III.

VIRO ILLUSTRI ET AMICISSIMO RICH. BENTLEIO,
S. P. D. LUDOLPHUS KUSTERUS.

Amstelodami, 3. Jul. St. N. 1708.

Beasti me literis tuis novissimis, doctis mehercule, et Musicis; quibus lectis, quid aliud mihi restabat praeter plaudere? Illud tantum doleo, primum folium Notarum mearum in Plutum (quod pertingit usque ad v. 476.) jam fuisse typis excusum, antequam literas tuas acciperem: ut proinde prior doctissimarum 411
observationum tuarum pars locis suis inseri nequeat. Efficiam tamen ut alibi legatur, ne frustra eam scripseris. Nam aurum potius et gemmas, et si quid est illis pretiosius, perire siverim, quam quicquam eorum, quae a tam docta manu proficiscuntur. Id tantum, Amicorum summe, per amicitiam nostram te rogo, ut (quoniam post acceptas literas tuas praelum cessare jussi, nec res diuturnam patitur moram) notas tuas in reliquam par-

tem Pluti, et deinde in sequentes fabulas quousque tibi lubitum fuerit, quamprimum pertexas: quam ob causam conjecturas meas et emendationes itemque varias Lectiones MSS. in reliqua Pluti, quam fieri potuit brevissime contractas, calci hujus Epistolae attexui, ut eas cum tuis comparare posses. De Florentinis additamentis (de quibus merito conquereris) res in vado est. Nam quamvis ea non ad calcem Editionis meae rejecerim (quod forte nonnullos offendere poterat) signo tamen aliquo ab Aldinis distinxi, ne Lectorem amplius fallere possent. De Bisetianis et Bourdinianis quid dicam? Nosti ingenium hominum, qui illico clamant, Editionem esse imperfectam, si quicquam in ea desit, quod priores Editt. habeant. Hinc fit, ut in edendis libris non solum voluntati hominum doctorum, sed etiam moribus seculi et lucro bibliopolarum serviendum sit. Quam vellem eam esse rerum mearum conditionem, ut magis ex arbitrio meo rem mihi gerere liceret. At nunc cum omni publico munere destitutus sim (quo tamen non tam fortunae iniquitate, quam judicio et voluntate mea carere me fateor) industria mea est mihi sacrae anchorae loco: cujus tamen nullum capere possum fructum, nisi habeam bibliopolas, qui spe lucri lucubrationes meas praelo tradant. Et adhuc quidem res bene et ex voto cessit; et spero in posterum, dum erit mens sana in corpore sano. Illud tantum doleo, non plus mihi suppetere otii ad elaboranda et perpolienda ea, quae sub manibus habeo. Si enim unum adhuc vel alterum annum Aristophani impendere licuisset, non dubito, quin multo plura observare potuissem, quae nunc properantem effugiunt. Maturandae enim mihi sunt Editt. ut non solum habeam unde vivam, sed etiam unde viaticum aliquod et subsidium futurae senectuti (si eousque vivere mihi contingent) comparem. Hoc unum, fateor, est, quod aliquando male me habet, minusque sinceram ex literarum stu-

diis voluptatem capere sinit. Quare, ut solicitudine 412
hac aliquando liberer, constitui certam pecuniae summam (600 circiter librarum sterlingicarum) quam intra paucos annos studio et labore meo collecturum me spero, ita collocare, ut duplicata inde usura, quoad vivam, ad me rediens sortem compenset: vulgo *lyfrents* vocant. Huic summae quod deerit, unius vel alterius patroni liberalitate, ut spero, supplebitur. Porro de dedicatione Aristophanis consilium tuum, Amicorum decus, exquirendum quoque esse putavi. Statui enim cuidam ex Proceribus vestris eum inscribere: sed animo ejus per te prius tentato. Nusquam enim generosiores dantur literarum Patroni quam in Britannia vestra, nec mihi ob eas, quas dixi causas, hujusmodi Patronorum liberalitates spernendae sunt. Cogitavi de Domino Sunderlandio vel Hallifaxio, vel Sommersio, sed ad quos aditus mihi prius a quodam amicorum meorum parandus esset. Est aliquis Londini qui operam suam ad hanc rem sponte mihi obtulit, sed cui adhuc officii hujus gratiam feci, quoniam alii potius quam illi hoc nomine obstrictus esse vellem. Quare tibi, Vir illustris, et Brookbankio nostro totum hoc negotium committo. Redeo nunc ad institutum. De σκυτοδεψεῖν quid statuendum esset, diu fluctuavi, neque dum omnis mihi scrupulus exemptus est; praesertim postquam incidi in alium locum Aristophanis in Avib. v. 490. pag. 564. Ed. Gen. ubi σκυτοδέψαι itidem in fine versus Anapaestici legitur. An igitur dicemus primam syllabam in σκυτοδεψεῖν esse ancipitem? an vero et ibi legendum esse σκυλοδέψαι? Tuum judicium expecto. Illud σκατοδεψεῖν tanquam conjecturam tantum proposui; quam nunquam animus mihi fuit pertinaciter defendendi. De σκυλοδεψεῖν si loca quaedam succurrunt, in quibus prima ejus vocis syllaba brevis est, ea ut mecum communices rogo. De ὀλυμπικὸς ἀγὼν [v. 583.] ignosces mihi, si conjecturam meam non cen-

seam esse repudiandam. Illud ἐκτετολυπεῦσθαι [v. 34.] est emendatio elegans, et ingenii tui acumine digna. V. 453. τροπαῖον ἂν στήσαιτο jampridem ex Suida textui restitui. Multa enim sunt alia loca Aristophanis partim a me illustrata, partim etiam tentata et emendata, quae in specimine non attigi. V. 287. pro Μίδας scribendum potius esse Μίδαις itidem in notis meis monueram. V. 559. ποδαγρῶντες ex Edit. Ald. textui restitui, illo altero ποδαλγ. ut inepto, valere jusso. V. 566. Sic numeris suis restitui: Νὴ Δία γ', εἰ δεῖ γε
413 λαθεῖν αὐτόν, etc. Sed simul monui, esse versum frigidum, et Aristophane nostro parum dignum. V. 536. Prior conjectura tua vera mihi videtur, ut scribatur — πλὴν φώδων ἐν βαλ — κολοσυρτοῦ. Et deinde novae sententiae initium φθειρῶν δ' ἀριθμὸν — οὐδὲ λέγω σοι. Nam illa, κολοσυρτὸν φώδων non video quomodo jungi queant: cum φῶδες nullum edant κολοσυρτὸν, i. e. strepitum tumultuosum. V. 165. et sqq. valde probo judicium tuum, quo mones, dicta omnia scurrilia Carioni tribuenda esse, nec continuari ibi debere personam Chremyli *). Sed pergo ad reliqua. V. 592. κοτίνου στεφάνῳ. Quid tibi, quaeso, videtur de interpretatione hujus loci, quam habet Paschalius de *Coron.* Lib. VI. cap. 19. Mihi frigida videtur et nimis longe petita: nec aliter locum illum exponendum puto quam per σχῆμα, quod παρ' ὑπόνοιαν dicitur. V. 596. Ed. Ald. et Genev. habent προσάγειν (metro) repugnante. Quare praefero τὸ προπέμπειν, quod in aliis Editt. reperio. V. 640. Φάνος MS. Vatic. Bodlej. et Arund. itemque Ed. Ald. φέγγος, quod puto interpretationem τοῦ φάνος, utpote vocabuli rarioris. V. 676. τὸν ἱερέα. Adde e MS. Arund. τοῦ θεοῦ ad versum supplendum. Sed tunc articulus τὸν ante ἱερέα redundabit. V. 800. Δὲ ξενικός.

*) Vid. Dobraei Aristophanica, p. 18.

MS. Arund. recte una voce *Δεξίνικος*. V. 816. Lectioni *εἶπος* palmam tribuo: ut antea ad Suidam. V. 990. pro *μισητίας* MSS. Bodl. et Arund. habent *μισγητίας* (quasi a *μίσγεσθαι*) quod tunc adeo placebat, ut in textum recipere non dubitarem. At nunc me facti ejus poenitet, et veram esse lectionem *μισητία* non dubito. Nam *μισεῖσθαι* aliquando accipitur pro *βδελύττεσθαι* et probo. Unde *μισητία* libido foeda, odiosa, et aversatione digna. V. 1083. *τὸ διαλεχθείην*, non de colloquio, sed de *concubitu* accipio. Vide Pollucem Lib. v. sect. 92, 93. V. 1094. pro *ὑπεπίττουν*, Etymol. v. *πατὴρ*, legit *ἐπίττων* et Suidas in serie sua *Ἐπίττουν*: sed tunc syllaba versui deerit. Et haec quidem sunt loca Pluti, in quibus varia aliqua lectio occurrit. Caeterum sunt sexcenta alia, quae quidem non emendo, utpote sana et integra, sed tantum illustro, et interdum paulo fusius; eo scilicet, quo in specimine factum video modo. In Scholiasta longe plura emendo; sed quae hujus chartae non capit angustia. Ubi responsum a te accepero 414
(quod impatienter expecto) illico in Nubes quas habeo varias Lectiones et emendationes, per epistolam ad te mittam. Ankersenius in epistola ad me valde mihi praedicavit insignem tuam erga ipsum humanitatem, quo nomine tibi gratias ago quam maximas. Nam puerum illum valde amavi, et hic Amstelod. complexus sum, tum ob eruditionem eius, tum etiam moris ingenuitatem et urbanitatem. Dom. Brookbankium ad vos rediisse ex Sikii literis laetus intellexi. Saluta quaeso iterum iterumque meo nomine candidissimum illud pectus, et quem juxta te amavi semper plurimum. De nato filiolo ex animo tibi gratulor, optoque ut laudum paternarum aliquando sit aemulus. Puerperae item constantem et firmam valetudinem, tibique et toti familiae tuae omnia prospera et laeta precor et voveo. Vale, Amicorum decus, et me, quod facis, amare perge.

P. S. Fritschius junior, qui jam per annum et dimidium Amstelodamo abfuit, ante biduum ad me scripsit, se intra tres hebdomadas certo certius huc rediturum. Simul conqueritur de Croonfeldio *), quod ipsi nondum supplementa exemplarium Suidae miserit, quamvis non solum aliquoties ad eum hac de re scripserit, sed etiam libros, quos universitati debeat, jam ante discessum suum hic paratos habuerit. Rogo igitur, ut cum Croonfeldio hac de re loquaris, et causam morae perconteris. Addit Fritschius se illico libros missurum, quamprimum supplementa acceperit. Sed cum huc venerit, auctor ipsi ero, ut ipse ad Croonfeldium denuo hac de re scribat. Iterum vale.

Inscriptioni epistolae addi poterit Belgice, Ten huyse van Madame Petold, op de hoek van de lange brug steeg in the Ness. Amsterdam.

Hemsterhuysius epistolam tuam accepit, qua mirifice exhilaratus fuit. Salutem tibi plurimam dicit.

For the Reverend Dr. Bentley,
Master of Trinity Colledge in Cambridge.

415 IV.

VIRO ILLUSTRI ET AMICISSIMO
RIC. BENTLEIO, S. P. D. LUDOLPHUS KUSTERUS.

Literas tuas Londino ad me datas accepi, ex quibus perspexi, te quamprimum Cantabrigiam reversus fueris, reliqua in Plutum ad me missurum; qua re vehementer laetatus fui. Illustrissimus Spanhemius noster itidem parat notas quasdam in Aristophanem Editioni meae adjiciendas; qua de re nuper per Massonium me certiorem fecit. Praeterea Parisiis ad me missae sunt notae prolixae et doctae Magni viri Isaaci

---

*) Scil. Crownfield, Academiae Cantabrigiensis typographo.

Casauboni in Equites Aristophanis, quas ex ejus autographo vir quidam in aula Gallica dignitate et opibus illustris, nomine Reymondus, Editionis meae fama commotus, ultro pro me describendas curavit. Fateor sane me hoc inexpectato thesauro magnopere laetatum fuisse. His omnibus ornamentis si accesserint notae meae qualescunque, itemque Variae lectiones quatuor codicum MSS. et Scholia ante inedita in Lysistratam (quae tibi debeo) sperare ausim Editionem meam (quamvis pene intra biennium et inchoatam et absolutam) perquam luculentam fore. Si specimen meum a Clerico editum, tibi, Amice magne, placuit, spondere mihi ausim, et reliqua tibi magis adhuc esse placitura, quippe in quibus plura παρακεκινδυνευμένα, et ex reconditis Graecae linguae penetralibus deprompta occurrent. At φορτικὸς forte tibi videbor qui tam magnifice de propriis laboribus sentiam. Quare calamum hic reprimo.

Quod ad dedicationem Aristophanis adtinet, non meum quidem est, ullas generositati alterius leges ponere; attamen (quoniam meam hac de re sententiam scire cupis) crederem 50 vel summum 60 libras sterlingicas, tantum fore honorarium. Sed tu, Amicorum summe, totius hujus negotii αὐτοκράτωρ esto, persuasumque habeas, me aequi bonique consulturum esse quicquid hac in re statueris.

Pergo jam ad Nubes: ex quibus pauca quaedam loca, in quae vel ex MS. vel ex ingenio crisin exercui, hic subjungam. Nam omnia attingere nec necessarium puto, nec temporis et epistolii hujus angustia patitur. V. 109. vocem φασιανοὺς cum Athenaeo de avibus vel gallinis ita dictis accipio; non, ut alii, de equis. De loco illo scholiastae ad v. 238. φθάσαντι δὲ αὐτῷ, amplius cogitandum censeo: uti et de illo ad 416
v. 263. μερικοῖς φιλοσόφων λόγοις. Quid enim sibi hic vult illud μερικοῖς?

V. 325. pro ἤδη νῦν μόλις ὁρῶ MS. Vat. recte, ἤδη νῦν μόλις ἀθρῶ.

V. 347. in editis caesura caret, quem MS. Vat. recte sic habet: γίνονται πάνθ᾽ ὅ, τι βούλονται κἂν εἰ μὲν ἴδωσι κομήτην. V. 357. pro πρεσβῦτα παλαιγενὲς MS. Vat. rectius, πρεσβῦτα παλαιογενές. Sic enim metrum salvum erit: V. 368. in MS. Vat. et Arund. recte sic legitur — μεγάλοις δέ σ᾽ ἐγὼ σημείοις αὐτὸ διδάξω.

V. 389. in editis integro pede brevior est, cui consulit MS. Vat. in quo τὸ παππὰξ bis scriptum est. V. 400. legendum — Σούνιον ἄκρον Ἀθηνῶν.

V. 411. Caesura caret: Ὦ τῆς μεγάλης σοφίας ἐπιθυμήσας etc. Quare lege, transpositis tantum vocibus, ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας, ut recte apud Laërtium in Socrate, sect. 27. In v. 431. secundum priores Editt. legitur γνώμας μεγάλας: sed τὸ μεγάλας in versu redundat, quae vox proinde recte deest in MS. Vat. et apud Suidam v. γνώμη. Versus 527. in metrum peccat, quem proinde sic rescribo Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὡς ὑμῶν προδώσω ποθ᾽ ἑκὼν τοὺς δεξιούς. Caesura quidem fit in media voce προδώ | σω, sed idem in pluribus aliis versibus antecedentibus et sequentibus fieri video: unde colligo, hoc in isto genere versuum non esse vitiosum.

In V. 593. pro κᾀξημάρτηται MS. Vat. recte habet κᾀξημάρτετε. V. 809. [ed. Brunk v. 811.] pro ἀπολέψεις, MS. Vat. et Arund. itemque Suidas habent ἀπολάψεις, utrum melius? V. 920. [Br. v. 923.] ἐκ | πηριδίου Edit. Genev. pessime habet Εὐριπιδίου. V. 991. [Br. v. 995.] est obscurus. Quid enim sibi vult illud, τῆς αἰδοῦς μέλλεις τἄγαλμ᾽ (lege τὤγαλμα, metri gratia) ἀναπλήσειν. Scholiastes monet in quibusdam codicibus pro ἀναπλήσειν lectum fuisse ἀφανίζειν: quod magis placet. V. 992. [Br. v. 996.] pro εἰσιέναι, Suidas, v. Ἀποθρανσθῆς et v. Εἰσάττειν, legit, εἰσάττειν: quam puto veram et archetypam vocem, τὸ εἰσιέναι vero ejus

scholium. V, 1079. [Br, v, 1083.] Pro ῥαφανιδωθῇ γε πειθόμενος, vel lege πιθόμενος: vel ῥαφανιδωθῇ πειθόμενος, omissa particula γε: ut habet MS. Vat. V. 1205. [Br. v. 1203.] pro ἀμφορῆς νενασμένοι MS. Vat. et Suid. v. Ἀμφορεαφόρους, et v. Νενημένην legit ἀμφορῆς νενησμένοι, i. e. σεσωρευμένοι.

In V. 1302. [Br. v. 1299.] vix intelligo illud, ἐπιαλῶ. 417
An legendum, ἐπεὶ ἐλῶ, pro ἐλάσω: ut ἐξελῶ pro
ἐξελάσω. In V. 1374. [Br. v. 1371.] pro ἐξ Εὐριπίδου
legendum est, Εὐριπίδου ῥῆσ. omissa vocula ἐξ quae et
in MS. Vat. recte deest.

V. 1378. [Br. v. 1375.] pro ἠριζόμεθα, non solum MS. Vat. sed etiam Suidas v. Ἔπος πρὸς ἔπ. et Eustath. ad Il. Ψ. p. 1327, 14. Ed. Rom. habent ἠρειδόμεθα; quam non dubito esse archetypam vocem poëtae, cujus locum occupaverit Scholium.

V. 1399. [Br. v. 1397.] post καινῶν addendum est ἐπῶν ex MS. Vat. et Arundel. V. 1444. [Br. v. 1442.] pro ἐκ τούτων ἐπωφελήσεις MS. Arund. rectius, ἐκ τούτων ὠφελήσεις. V. 1508. [Br. v. 1506.] τί γὰρ μαθόνθ' ὑβρίζετον] versus hic in MS. Vat. et Arund. recte postponitur sequenti: Ibi enim illum collocari debere, patet ex duali ὑβρίζετον, qui utique requirit, ut Socrates et Chaerephon ante locuti fuerint. Pro μαθὼν autem, ut priores Editt. habent, clarum est, legi debere μαθόνθ', ut respondeat duali sequenti ὑβρίζετον. Potest tamen versus idem etiam sic legi, uti legitur in MS. Vat. Τί γὰρ μαθόντες τοὺς θεοὺς ὑβρίζετον.

Haec sunt, quae raptim, ut vides, et tumultuario scribendi genere, ex Nubibus tecum communicanda duxi. Tu, Vir amicissime, quamprimum commodo tuo fieri poterit et in hanc fabulam Notas tuas mecum, ut spero, communicabis. Quando Spanhemii nostri notas accepturus sim, ignoro: neque enim certi temporis mentionem fecit. Quare vereor, ne nimis diuturnam

nectat moram; quod mihi valde incommodum foret. Tu Amicorum decus, vale et mihi favere perge.

Amstelodami d. 31. Iul. St. Gregor. 1708.

P. S. Priores literas si comburere nolis, saltem calamo dele, quaeso, illam partem, quam alios ignorare praestat *).

For the Reverend Dr. Bentley,
Master of Trinity Colledge at Cambridge.

418 V. **)

CELEBERRIMO ET DOCTISSIMO LUDOLPHO KUSTERO,
S. P. D. RICHARDUS BENTLEIUS.

Tandem a Londino Cantabrigiam redii; et ubi primum ab itinere et amicorum allocutionibus requiescere concessum est, ecce Aristophani tuo manum rursus admoveo. Gaudeo quae in novissimis ad te literis dedi, tantopere tibi placuisse: ea mihi satis ampla est opellae illius merces. Caeterum quod narras scrupulum tibi adhuc restare de *σκυτοδεψεῖν;* [v. 514.] noli dubitare quin et in Avibus, p. 387. [v. 490.] reponendum sit, — *χαλκῆς, κεραμῆς, σκυλοδέψαι* — ut nos olim in margine correxeramus; praesertim cum continuo sequantur illa,

Σκυτῆς, βαλανῆς, ἀλφιταμοιβοί,
τορνευτολυρασπιδοπηγοί.

An tu putas *σκυτοδέψαι* primam ibi corripere, et mox *σκυτῆς* producere? quin misso metro, repetitio *τοῦ σκυτ'* inconcinna fuerit. Lege ergo fidenter *σκυλοδέψαι* et, ut id obiter notem, *τορνευτολυρασπιδοπηγοί,* non ut exstat in omnibus editionibus, *τορνευ-*

*) Quod fecit quidem Bentlejus.

**) [*Epistolae V. et VI. eduntur ex apographis, quae sibi fieri curaverat Bentleius.*]

τασπιδολυροπηγοί, versu ipso repugnante; quod miror te ad Suidam, qui verbum hoc recte citat, non observâsse. Poscis loca tibi indicari, ubi σκυλοδεψεῖν primam corripit. Nulla jam mihi succurrunt; sed quid attinet? cum certo sciamus σκύλον vel σκύλος pro *pelle* primam corripere: eadem enim simplicis et compositi erit mensura. Praeter Callimachi versum, quem jam ante tibi indicavi, vide Anthol. lib. vi. cap. ἀπὸ ποιμένων. [Iacobs. Anth. Pal. T. I. p. 196. ἀγρείης. *FR.*]

Τοῦτο χιμαιροβάτα Τελέσων αἰγώνυχι Πανὶ
Τὸ σκύλος ἀγρίης τεῖνε κατὰ πλατάνου.

ubi pro ἀγρίης repono ἀερίης *altae*; ut Latini, aeriae quercus, ulmi, cupressus, etc. Plura τοῦ σκύλος exempla quaerenti erunt obvia; mihi non vacat. Non repugno, quin emendationem tuam τὸν Ὀλυμπικὸν αὐτὸς ἀγῶνα, p. 30. [v. 583.] una exhibeas cum mea, αὐτὸς τὸν Ὀλύμπι' ἀγῶνα. Certe si quaerimus, non quid scribere potuerit auctor, sed quid scripserit, meam veriorem puto. Vide Gruteri Inscript. p. 314. Reinesii 419 p. 365. ubi habes Νικήσας ἀγῶνας Ὀλύμπια, Πύθια, etc. *). Priorem ex nostris emendationem praefers p. 28. [v. 535.]

Σὺ γὰρ ἂν πορίσαι τί δύναι' ἀγαθόν; πλὴν φῴδων ἐκ βαλανείου,
Καὶ παιδαρίων ὑποπεινώντων, καὶ γραϊδίων κολοσυρτοῦ

(Ego**) vero vix mutaverim τὸ κολοσυρτόν· nam quantum video πλὴν hic accusativum sequentem necessario postulat. At inquis τῶν φῴδων nullus est κολοσυρτός.

---

*) [*Vid. ad Horat.* I. *Ep.* I. 50. *Antipater Anthol.* I. 1, 5. *Ruhnken. ad Paterc. p.* 28.]

**) Sed jam nunc lego in Equitibus: οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι πλὴν γραμμάτων, etc. Ergo prior emendatio nunc placet: et haec omnia indicta sunto. *Bentleii manu scriptum.*

Recte: sed quam saepe observamus tam apud Graecos, quam Latinos substantivum regens non omnibus suis genitivis convenire, sed posterioribus tantum? Est etiam, quod praeterea dicam. Nisi intercederet Scholiastarum et Suidae auctoritas, qui φῴδων hic agnoscunt, sic locum refingerem,

— πλὴν φωρῶν ἐκ βαλανείου,
Καὶ παιδαρίων ὑποπεινώντων καὶ γραϊδίων
κολοσυρτόν.

ibi omnibus aeque convenit κολοσυρτὸς, φωρσὶ, παιδαρίοις, γραδίοις. Fures autem intelligit balnearios, qui inopia pressi vestimenta lavantium subripiebant. Nota res: Plautus Rudente II. 3.

Scin tu etiam? qui *it lavatum*
In balineas, cum ibi sedulo sua vestimenta servat,
Tamen subripiuntur: quippe qui, quem illorum observet, falsu' st;
Fur facile, quem observet, videt; custos qui fur sit, nescit.)

Illud, quod porro quaeris, p. 31. [v. 592.] κοτίνου στεφάνῳ στεφανώσας, est repetitio indignantis se eo argumento tam arcte constringi: quasi diceret, *Deus te perdat cum tua corona oleastri. At te Jupiter oleastro coronet* (quia illud laudas tantopere) *et deinde perdat.* Pagina autem 52, [v. 596.] προπέμπειν, legis ex Florentina: cum Aldi προσάγειν metro repugnet. Miror te MStorum nullam mentionem facere. Si illi habeant προπέμπειν, quod versui quidem convenit, a sententia tamen alienum est; tum lego una litera ejecta,

δεῖπνον κατὰ μῆν' ἀποπέμπειν.

Sed si MSti quoque προσάγειν agnoscunt, et προπέμπειν est Florentinorum commentum, ut sane suspicor; tum lego totum locum,

Τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ
μῆνα προσάξειν,

Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν, πρὶν καταθεῖναι.

Certe, si quid video, tempus futurum hic longe aptius. Narrat enim Hecate, sibi coenam quot mensibus *allaturos* fore divites: ni pauperes eam raperent, prius quam poneretur. Proinde coena ad Hecatam non devenit; quare προσάξειν dicit, non προσάγειν; quia nunquam coena potitur. Iam p. 34. [v. 640.] miror te Florentinum φάνος amplecti, quod nihil est; quis τὸ φάνος dixit? utique semper est generis masculini. Deinde esset *laterna, fax*, sententia absurda. Voluerunt, credo, φάος, non φάνος; hoc est *salus, praesidium* ὁμηρικῶς. Recte quidem, si sensum modo spectas; sed et codices et versus ipse φέγγος efflagitant, eadem notione,

Ἀναβοά | σομαι τὸν εὖ | παῖδα καὶ
Μέγα βροτοῖ | σι φέγγος Ἀσ | κληπιόν.

Porro p. 36. in versiculo illo [v. 676.] *Ἔπειτ' ἀναβλέψας ὁρῶ τὸν ἱερέα*, addis ex MSto Arundeliano ad versum, ut ais, supplendum τοῦ θεοῦ; quo pacto redundabit inquis, τόν. Nescio equidem, quid hic spectes. Nam ut hic a te refingitur, nullus omnino exibit versus. Vulgaris autem integerrimus est, ut vides per sua διπόδια, *Ἔπειτ' ἀνα | βλέψας ὁρῶ | τὸν ἱερέα*. Ergo ex MSto voces illae ex margine traductae sunt, non ad versum, sed ad sententiam supplendam. Abeant igitur eo, unde malum pedem tulerint.

Pag. 40, [v. 800.] *εὖ πάνυ λέγεις, ὡς δὲ Ξένικος οὑτοσὶ*
Ἀνίσταθ' ὡς ἁρπασόμενος τὰς ἰσχάδας.

Placet quod ex MSto profers, *ὡς Δεξίνικος;* tamen scabrities quaedam adhuc aures offendit, *ὡς ἀνίσταθ'*, *ὡς ἁρπασόμενος*. Ego sic tentaveram

εὖ πάνυ λέγεις. ὁ δὲ Ξένοικος οὑτοσί,

ut *Ξένοικος* sit nomen viri; et sic quoque, quod fortasse omnium verissimum est,

εὖ πάνυ λέγεις, ὄχλος δὲ ξενικὸς οὑτοσὶ, etc.

421 *Peregrini* scilicet *spectatores* urbanitatis Atticae ignari, serio rem agi credebant; et surrexerant caricas rapturi. ὄχλος ξενικὸς saepe occurrit apud Historicos. Equidem vix dubito, quin rem acu tetigerim. Subit autem me admiratio, cur te offenderit μισητία p. 47. [v. 990.] ut insubidum illud μισγητία ei praeferres, oblitus tot Grammaticorum, qui verbum illud agnoscunt, Etymologi, Pollucis, Eustathii; quin et Suidae tui, qui proverbium illud citat,

Παρὰ σφυρὸν παχεῖα μισητὴ γυνή:

et locum etiam Cratini, quem tu sic edidisti, Μισηταὶ δὲ γυναῖκες ὀλίσβῳ χρήσονται, a Porto ut opinor deceptus. Nam princeps editio Chalcondyli habet ὀλίσβωσι; quod Portus mendosum esse videns male interpolavit. At nullo negotio et sponte sua versus exit Hexametrus Spondaicus,

Μισηταὶ δὲ γυναῖκες ὀλίσβοισι χρήσονται.

Quamobrem, o amicorum τὰ πρῶτα, iterum iterumque te monitum velim, ut probe tibi caveas a Porto, etiam in Aristophane exhibendo. Ego ejus editione non utor; ea tantum emendo, quae in Basileensi ad Aldinam castigata male se habent. Si quid ergo ab illis recedit editio Porti, (quod sane fieri potest, et sedulo tibi est animadvertendum) illud omne quantumcumque sit scias esse mendosum, et in nulla ratione habendum. Pergo jam ad reliqua in Plutum pertexenda; ibi capto initio, ubi superior ad te epistola *) finem fecit. Pag. itaque 32. [v. 606.] editionis Basileens;

ἐς τὸν κύφων' ἀλλ' οὐ μέλλειν
χρή σ' ἀλλ' ἀνύειν.

repone ex Aldina χρῆν σ' ἀλλ' ἀνύτειν.

---

*) *Ista epistola inter* schedas Bentleianas non est reperta.

Pag. 33. [v. 627.] Ὦ πλεῖστα Θησείοις μεμυστιλημένοι.

Editio Aldi in Textu, μεμοιστιλημένοι; οι pro υ; ut fieri solet. At in notis recte, μεμυστιλημένοι, a μυστίλη. Ita scribunt Hesychius, Suidas, Pollux, Etymologus, etc. Quae hic in σχολίοις habentur de μιστύλη ἀπὸ τοῦ μεῖστον sunt omnia πονηροῦ κόμματος, neque habentur in Aldina.

Pag. 35. [v. 641.] τίς ἡ βοὴ πότ' ἐστίν; ἆρα γ' ἀγγελεῖ.

Aldina ἆρ' ἀγγελεῖ. Quaere, an MSti priori suffragentur. Alioqui sic refinxerim, ἆρ' ἀναγγελεῖ vel ἀπαγγελεῖ. Ibidem, [v. 660.]

Ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα, καὶ προθύματα
Καθωσιώθη πέλανος ἡφαίστου φλογί.

Vides, quam tragicum spirat: ergo me judice prae- 422
stat illa altera lectio, a Scholiaste indicata: πόπανα καὶ θυλήματα.

Pag. 36. [v. 674.] Ὀλίγον ἄπωθε τῆς κεφαλῆς τοῦ γραϊδίου,

at γραϊδίου tetrasyllabum primam producit, ut supra καὶ γραϊδίων κολοσυρτόν. lege igitur τρισυλλάβως ob versum, τοῦ γραδίου, et paullo inferius quoque numerosius erit, [v. 688.]

Τὸ γράδιον δ' ὡς ᾔσθετο. —

Pag. 36. [v. 685.] de Aesculapio,

Νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγε, μὴ φθάσειέ με
Ἐπὶ τὴν χύτραν ἐλθών, ἔχων τὰ στέμματα.

Pingi solet, inquit σχολιαστής, *Aesculapius* στεφανηφορῶν. Sane ejus caput coronatum extat in nummo Gentis Aciliae apud Fulv. Ursinum. Sed quid tum postea? Id in plurium Deorum imaginibus cernitur, neque Aesculapio proprium erat. Ejus potius habenda erunt Insignia, Baculus, Serpens, Gallus. De-

nique: quid opus erat, Aesculapii habitum designare? eum ignorare non potuit Chremyli uxor: et est utique ἀπροσδιόνυσον. Vide annon legendum sit — ἔχων τὰ πέμματα: ea sunt quae prius [v. 677.] φθοῖς et πόπανα appellarat. Verebar, ne, cum *bellaria* haberet, (Sacerdos enim quasi Deo servanda collegerat) tandem et *ollam* pultis auferret. Tu de hoc loco cogita; nam sine tuo calculo nolim hic calide pronuntiare. Pag. eadem [v. 692.] lego,

Κατέκειτο δ' αὑτὴν ἐντυλίξασ' ἥσυχῇ.

αὑτὴν, se totam: non *αὐτὴν manum;* p. 37. [v. 707.] sic nunc extat,

Μετὰ ταῦτά γ' εὐθὺς ἐγὼ μὲν συνεκαλυπτόμην;

quod tamen versus ratio recusat. Corrigendum, *ἐνεκαλυπτόμην;* ut mox, [v. 714.] *Ὅς ἐγκεκαλύφθαι φῄς.*

Pag. 38. [v. 725.] *Ἵν' ἐπωμνύμενον παύσω σε.*

Recte Aldina et in textu et in Scholiis, *ἐπομνύμενον.* p. 40. [v. 779.]

Ἀλλ' αὐτὰ πάντα πάλιν ἀναστρέψας ἐγώ.

Αὐτὰ hic ineptum et otiosum. Lege sine dubio, *Ἀλλ' αὖ τὰ πάντα.* notum *αὖ πάλιν* et *πάλιν αὖ.* Ibidem numerosior fuerit versus [v. 785.] addito *γ'*.

Ἐνδεικνυμένοισί γ' ἕκαστος εὔνοιάν τινα.

P. 41. *) *Οὕτω τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἡδὺ πρᾶγμά τι.*

Versus ἀδιανόητος, inquit Scholiastes; *aut refer ad superiora illa,* [v. 803.] *Καὶ ταῦτα μηδὲν*
423 *ἐξενέγκοντ' οἴκοθεν.* Tu vero hic cave a Florentinis qui pessime verba luxarunt. Voluit, opinor, Scholiastes, hoc loco versiculum illum sine sensu esse; commodius autem collocari posse post Actus hujus versum

---

*) [Hic versus deest in Brunk. edit., in Kusteri edit. versus est 806. *FR.*]

secundum. Meo quidem judicio ejiciendus est potius; nam in utrovis loco importunam Parenthesin facit, et currentem sententiam intercipit. Pag. autem 41. [v. 816.] quod jam olim in Notis ad Callimachum correxi,

Ὁ δ' ἶπος ἡμῖν ἐξαπίνης ἐλεφάντινος,

hoc maxime argumento tutaberis. Perit omnino usus τοῦ ἴπνου, si sit ἐλεφάντινος: cum ebur ignem ferre nequeat, sed cum teterrimo nidore comburatur. At ἶπος eburneus res est ridiculae quidem elegantiae, ad usum tamen non ineptae. Quare ut haec lectio urbanitatem Atticam sapit, ita illa absurda prorsus est, et γέλωτος φορτικοῦ.

Pag. 43. [v. 871.] *Μὰ Δί' οὔμενουν ἔσθ' ὑγιὲς ὑμῶν οὐδενός.*

Sine dubio vere Scaliger emendat, ὑγιὲς ὑμῶν οὐδὲν, ut principio fere Pluti, [v. 37.]

εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδέν.

Pag. 44. [v. 887.] sic nunc habetur,

Ἆρ' οὐχ ὕβρις πολλὴ ταῦτ' ἐστί; σκώπτετον.

versu claudicante; qui sic sanandus est, πολλὴ τάδ' ἐστί, eodem sensu. Illud ibidem [v. 896.] ὖ ὖ, ὖ ὖ, sic scribendum puto, ut locis paribus Iambi fiant, ὖ ὖ, ὓ ὖ; ὖ ὖ, ὓ ὖ, ὖ ὖ, ὓ ὖ. Caeterum hic versus naso, non ore, efferendus est.

Pag. 45. [v. 917.] verior lectio est, quam Scholiastes indicat,

Οὔκουν δικαστὰς ἐξεπίτηδες ἡ πόλις
Ἄρχειν καθίστησιν; Nonne igitur, etc.

Pag. 46. [v. 947.] *Καὶ σύκινον, τὸν ἰσχυρὸν τοῦτον θεόν.*

vocabulum ἰσχυρὸς mediam syllabam producit; ergo quarto pede non potest consistere. Lege ordine inverso,

Καὶ σύκινον, τοῦτον τὸν ἰσχυρὸν θεόν.

ut in Ranis p. 159. [Kust. v. 737. — Brunck. v. 725.]

χρώμεθ᾽ οὐδὲν, ἀλλὰ τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις.

Ibidem p. 46. [v. 963.]

Ἀλλ᾽ ἴσθ᾽ ἐπ᾽ αὐτὰς τὰς θύρας ἀφιγμένη, etc.

hoc non loquitur χο. *chorus*, sed χρ. Chremylus; et sic corrigendum. χοροῦ non indicat chorum hic loqui;
424 sed chori cantica ibi olim fuisse, nunc deficere; ut antea in hac fabula.

Pag. 50. [v. 1068.] sic editum est,

Πειρᾷ μὲν οὖν ἴσως σε· κᾆτα τῶν τιτθίων
Ἐφάπτεταί σου —

versu repugnante; qui aut sic constituendus est, καὶ τῶν τιτθίων; aut quod verius est, κᾆτα τιτθίων sine articulo, ut in Ranis p. 147. [Kust. v. 414. — Br. v. 411.] χιτωνίου
Παραῤῥαγέντος τιτθίον προκύψαν.

Iam illud p. 51. [v. 1083.] Οὐκ ἂν διαλεχθείην, etc. recte interpretaris de concubitu. Ego sic in libri ora adnotaveram. Διαλέγεσθαι, συνουσιάζειν, Suidas.

Pag. eadem, [v. 1088.]

οὐκοῦν τρύγοιπος, ταῦτα πάντ᾽ ἰάσεται.

Ita quidem Suidas verbo τρύγοιπος: sed alibi articulum addit, qui augere videtur elegantiam,

Οὐκοῦν ὁ τρύγοιπος, etc.

Vide ipsum,

Ὁ τρύγοιπος ταῦτα πάντ᾽ ἰάσεται;

ubi tu, ut saepius Porto tuo male fidens, ὁ τρύγητος, edidisti. At Chalcondylus τρύγοιπος, recte. Hunc enim locum Suidas respexit, et ex eo, ut solet plerumque inepte, proverbium concinnavit. Ibidem [v. 1094.] ὑπεπίττουν recte habet; neque simplex stare ibi potest; utcunque Suidas et Etymologus id exhibeant. Iterum quoque mox [v. 1096.] repone,

Ὡς εὐτόνως, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ γρᾴδιον;

non τὸ γραΐδιον, quatuor syllabis. Pag. 52. [v. 1116.] scribe ex Aldina,

Οὐ ψαιστὸν, οὐχ ἱερεῖον, οὐκ ἄλλ' οὐδεέν.

ἄλλ' i. e. ἄλλο; non ἀλλ' i. e. ἀλλά. Ibidem, [v. 1129.] *Οἴμοι δὲ κωλῆς ἣν ἐγὼ κατήσθιον.* ἣν quoque habetur apud Athenaeum lib. IX, ex Pluto secundo. Videtur nihilominus, legendum ἧς ἐγὼ κατέσθιον; quod Ἀττικώτερον est, ut mox [v. 1131.] σπλάγχνων τε θερμῶν ὧν ἐγὼ κατήσθιον. Pag. ultima 55, [v. 1199.]

Ἱδρυσόμεσθα, λαβοῦσ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρε.

Illud σ ἐπιτατικὸν gravat versum, qui celerius et numerosius decurrit, si legas

Ἱδρυσόμεθα, λαβοῦσ' etc. Sed redi mecum ad pag. 48, [v. 1012.] ubi vetula de adolescente amatore suo loquitur,

Καὶ νὴ Δί' εἰ λυπουμένην γ' αἴσθοιτό με, 425
Νιτάριον ἂν καὶ βάτιον ὑπεκορίζετο.

Nitariam appellabat aut Batium suum. Nempe si credimus Symmacho, Grammatico passim a Scholiaste laudato, *Nitarus* quidam et *Batus* erant, mollitie infames. Ergo ἀπὸ Νιτάρου Νιτάριον, ἀπὸ Βάτου Βάτιον. Atqui (ut condonemus ei cinaedos suos *Νίταρον* et *Βάτον*, quos nemo alius memorat, quique a Symmacho conficti videntur, ne nihil dicendo ignorantiam suam fateretur) qui sodes fieri potest ut nominum virilium diminutiva tribuantur mulieri? σωκρατίδιον est ὑποκοριστικὸν Socratis, at nullius alterius: sic *Νιτάριον* solius Nitari fuerit, *Βάτιον* solius Bati. Sed cum haec interpretatio sit plane absurda, aliam infit; *Καὶ τὰς μικρὰς δὲ θηλείας, βατύλους ἔλεγον*; quae primo corrigenda erunt, deinde expendenda. Suidas habet μικρὰς καὶ θηλείας (in tua tamen editione conjunctio male abest) unde sic lego, *Καὶ τοὺς μικροὺς καὶ θῆλεας, Βατάλους ἔλεγον*; *viros pumilos et effaeminatos Batalos vocabant.* Vide *Βάταλος* apud Hesy-

chium, Harpocrationem, Suidam, Eustathium, Plutarchum in vita Demosthenis, cui ob mollitiem cognomen Batalus adhaesit. Certa est haec emendatio; et fortassis insuper legendum est, τοὺς μαλακοὺς, pro μικροὺς, etsi et hoc tolerari potest. Iam quaero a te quid Βάταλος facit ad Βάτιον? quibus fidiculis extorquebunt, ut ex Batalo Bation diminutivum prodeat? A Βάταλος certe Βατάλιον fuerit, non Βάτιον. Tamen et alter Scholiastes significare ait Βάταλον τὴν ἕδραν παρ' ὃ καὶ Βάτιον, Batalum scilicet esse *sedem, podicem*, a qua voce Βάτιον venire. Et quidem Βάταλον notare πρωκτὸν testantur Plutarchus, Etymologus, Harpocration: sed inde Βάτιον deducere est aut hominis inepti, aut ad incitas redacti. Ergo alius, sed nihilo sapientior, Νιτάριον et Βάτιον ait esse plantarum nomina; et interpretatur ὑπεκορίζετο Νιτάριον καὶ Βάτιον, quasi dixerit ὡς ἄνθη με εἶχεν, *florum loco me habuit.* Bellorum mehercule florum! cum Βάτος non rosam, non lilium, sed *sentem, spinam* significet: Νιτάριον autem de flore vel planta dici sit inauditum et falsum. At tandem, opinor, ad rem ipsam devenimus; nam βάτος, ait alter, est, pisciculi genus; unde mollis et luxuriosus, qualis iste est pisciculus, Βάτιον dici potest. Βάτος quidem piscis est, hoc vere: sed satius
426 fuerit pisce mutiorem esse, quam tam lepidum ὑποκόρισμα nobis obtrudere. Restat adhuc Didymus, qui νιτάριον exponit, νεόττιον, οἱονεὶ κοράσιον; sed cum nemo omnium Grammaticorum hoc memoret, cras ei credemus, hodie nihil; utpote qui hoc confingere potius voluerit, quam ignorantiam suam candide fateri. Quid ergo? ipsa certe tot interpretationum varietas satis per se ostendit, ad quantam ἀφασίαν καὶ ἀμηχανίαν redacti fuerint miselli Scholiastae. Nobis autem, si locum a quindecim credo saeculis in mendo cubantem, et ab ipsis Graecis Magistris insanabilem relictum, certa conjectura restituere poterimus, et extra omnem dubitatio-

nis aleam ponere; ecquid erit pretii, *προσφιλέστατε* Kustere? Gratiam sat scio, a te magnam inibimus, et ab omnibus *φιλαριστοφάνεσι*, qui tua opera id olim possunt resciscere. Faciamus igitur periculum; et primo illud percommode accidit, quod apud Suidam ista nomina cum duplice Tau efferuntur,

Νιττάριον ἂν καὶ Βάττιον ὑπεκορίζετο;

cui scripturae astipulatur scholiastes ille ad locum, qui *Βάταλον δὲ*, ait, *τὴν ἕδραν, παρ' ὃ καὶ τὸ βάτιον· τὸ δὲ συνεσταλμένως ἀναγινώσκειν ἀνόητον*: hoc est, *Stultum est correpte verbum illud pronuntiare.* Scripsit ergo iste, syllaba per geminam consonantem producta, *Βάτταλος* et *Βάττιον*, ut profecto apud Etymologum hodie habetur, *βάτταλος καὶ βατταλίζειν*. Iam igitur sic locum refingo, minima mutatione,

Νηττάριον ἂν καὶ φάττιον ὑπεκορίζετο.
Anaticulam vocitabat et palumbulam.

Non dubitaveram consueta quaedam *ὑποκορίσματα* amatoria sub mendosis illis delitescere, et proinde tentanti quiddam ejus generis ex iis extundere statim optime successit. A *νῆσσα*, attice *νῆττα* diminutiva extant, *νήττιον* et *νηττάριον*; a *φάσσα*, *φάττα*, est *φάττιον*. Onomasticum Latino - Graecum Labbaei; Palumbes, *φάτται*· palumbula, *φάττιον*. Porro inter blanditias amantium, *anaticulas*, *palumbulas*, sive quod idem est *columbulas* (nam palumbes est genus columbae) vel primum locum obtinere, ex notissimo Plauti loco constat. Asinar. III, 3.

Dic igitur me anaticulam, columbulam, catellum,
Hirundinem, monedulam, putillum passerillum.

Sic corrige ista; nam in editis mendose habentur, contra legem metri; sed et illa ibidem sic scribe,

Dic igitur me passerculum, gallinam, coturnicem, 427
Agnellum, haedillum me tuum dic esse, vel vitellum.

Habes igitur, Kustere, locum insignem, qui ante Christum opinor natum tot Magistris crucem fixit, sic a me restitutum; ut nemo nisi stolidus aut in his literis plane hospes de conjecturae veritate dubitare possit: in qua tanquam προσώπῳ τηλαυγεῖ emendatiunculis his ad Aristophanis Plutum finem ponam. Cum autem in Scholiis *longe plura te emendaturum* vere, at certa fides est, polliceris; age, quandoquidem et otii et chartulae quiddam superest, fragmenta veterum quae in σχολίοις ad Plutum laudantur, percurramus; si forte mendosis ἀποσπασματίοις medicinam facere possimus: In Prolegomenis *Περὶ Κωμῳδίας*, legitur ἦσαν δὲ οἱ περὶ *Σαννυρίωνα*; sed corrigendum περὶ *Σουσαρίωνα*; ut in Dissertationibus ad Phalaridis Epistolas, si bene memini, olim ostendi. Sane plurima de Comoediae Tragoediaeque ibi protulimus aliis indicta et incognita, quae in limine tui Aristophanis non inhoneste spectari possent, si Latine verterentur. Ibidem in *Ἀριστοφάνους Βίῳ*, legitur τὴν γυναῖκα δ᾽ αἰσχύνομαι, etc. quod sic constituendum,

— τὴν γυναῖκα δὲ
Αἰσχύνομαι, τὼ τ᾽ οὐ φρονοῦντε παιδίω.

Ibidem inter Dramata Aristophanis controversa memorantur *Ποίησις*, *Ναύαγος*: quae ut mendo carentia admittit etiam Fabricius noster. Corrigendum tamen sine dubio ex vestigiis scripturae, *Πόλεις*, *Δὶς ναυαγός*. De *Πόλεσι* controversiam olim fuisse testatur Athenaeus, Ἀριστοφάνης ἢ *Φιλύλλιος* ἐν ταῖς *Πόλεσι*, et iterum *Φιλύλλιος* ἢ *Φρύνιχος* ἢ Ἀριστοφάνης ἐν *Πόλεσι*: posteriorem fabulam citat Pollux, Aristophanes ἐν *Διοναυάγῳ*; ubi recte emendatum esse *Δὶς ναυαγῷ* vel hic locus ostendit *Δὶς ναυαγός*. nosti proverbium,

Improbe Neptunum accusat, qui **bis naufragium** *facit*;

inde argumentum huic Fabulae, *Bis naufrago*. Ibidem paullo inferius *Περὶ κωμῳδίας* legitur, Ἀριστοφάνης

Φιλίππου Ἀθηναῖος, μακρολογώτατος Ἀθηναίων, καὶ εὐφυΐᾳ πάντας ὑπεραίρων. Quid, malum, μακρολογώτατος? quod orationis vitium est putidissimum. Qui fieri potest, ut idem sit εὐφυέστατος? sed corrigendum μακρῷ λογιώτατος, longe celeberrimus, disertissimus. Ibidem in Fabulae Hypothesi, ὅθεν καὶ παροιμία, Ἐν καρὸς ἄτῃ, 428
ἤτοι ἐν δούλου τάξει. Facilis est emendatio; Ἐν καρὸς αἴσῃ ex Homero. Scholiorum pag. 1. locus ex Synesio [ad. v. 7.] ἡ γὰρ Λαῒς ἀνδράποδον ἦν Καρικὸν ἐξ Σικελίας ἐωνημένον. lege Ὑκκαρικὸν, *nata Hyccaris Siciliae oppido.* Verum haec absunt ex Aldina a Florentinis mangonibus interpolata. Pag. 9. [ad v. 159.] locus est ni fallor, ex Thesmophoriazusis secundis. Senarii sunt, sic forte reponendi *);

Ὃς ἦν περίεργος ταῖσι τῶν φορημάτων
Ὅσαι τι περιπέττουσιν αὑτὰς προσθέτοις.

Pag. 10. [ad v. 174.] Platonis locus ex Amphiarao sic videtur constituendus,

Καὶ νὴ Δί᾽ εἰ τὸν Πάμφιλόν γε φαίης
Κλέπτειν τὰ κοινὰ, χἅμα συκοφαντεῖν.

Pag. 10. et 11. [ad v. 179.] de Philonide fragmenta sic reponenda; Νικοχάρης Γαλατείᾳ. — ἦ δῆτ᾽ ἀπαιδευτότερος εἶ Φιλωνίδου τοῦ Μελιτέως. — (et sic p. 18.) [ad v. 303.] περὶ δὲ τοῦ μεγέθους Φιλύλλιός φησιν, Ἥτις κάμηλος ἔτεκε τὸν Φιλωνίδην. καὶ Πλάτων δὲ Λαΐῳ φησιν, — οὐχ ὁρᾷς ὅτι

Φιλωνίδην που τέτοκεν ἡ μήτηρ ὄνος
Τὸν Μελιτέα, κοὐκ ἔπαθεν οὐδέν. —

Καὶ Θεόπομπος Ἀφροδισίοις,

A. Ὄνος μὲν ὀγκᾶθ᾽ ὁ Μελιτεὺς Φιλωνίδης.
B. Ὄνῳ μιγείσης μητρὸς ἔβλαστε τῇ πόλει.

Pag. 12. [ad v. 204.] Comici incerti locus sic personis distinguendus,

*) [*Vid. Dobraeum ad Porsoni Aristoph. Plut.* 159.]

A. *Τί ποτ' ἐστὶ χλωρὸν ἀντιβολῶ, τὸ χρυσίον.*
B. *Δέδοικ' ἐπιβουλευόμενον ὑπὸ πάντων ἀεί.*

Pag. 18. [ad v. 302.] Locus Anacreontis sic constituendus,

Ὁ μὲν θέλων μάχεσθαι
(Πάρεστι γὰρ) μαχέσθω.

Et sic editio Aldina; at Florentini inter hosce versiculos longam ῥῆσιν interposuerunt, pro solita sua eruditione. Et similia p. 32. [ad v. 598.] In Cratini loco,

*Σιγὰν νῦν *) ἅπας ἔχε σιγάν,*
Καὶ πάντα λόγον τάχα πεύσῃ.
Ἡμῖν Ἰθάκη πατρίς ἐστι
Πλέομεν δ' ἐπ' Ὀδυσσεῖ θείῳ.

429 Boni illi Florentini post primum versiculum nescio quid intruserunt, quod neque coelum neque terram tangit. Pag. 37. [ad v. 701.] *Ἀλλὰ καὶ θυγατέρα τοῦ Ἀμφιαράου τὴν Ἰασὼ εἶπεν ἐν ἐκείνοις· Ἀλλ' ὦ θύγατερ ἔλεξά σοι πρευμενής.* Verba Aristophanis haec sunt ex Dramate *Ἀμφιαράῳ*; versus autem Senarius est sic forte refingendus, *Ἀλλ' ὦ θύγατερ ἔλεξά σοι τάδε πρευμενής·* vel *ἐλεξάμην σοι πρευμενής·* vel *ἔλεξ' ἐγώ σοί;* vel alio modo. Ibidem [ad v. 718.] *Εὔπολις ἐν Πόλεσι. Τῆνος δ' αὐτὴ πολλοὺς ἔχουσα σκορπίους.* Ad Senarium reducere licet hoc modo; *Τῆνος δέ γ' ἡ πολλοὺς ἔχουσα σκορπίους.* Pag. 39. [ad v. 768.] Theopompi locum sic constitue

— φέρε σὺ, τὰ καταχύσματα
Ταχέως κατάχει τοῦ νυμφίου καὶ τῆς κόρης

Pag. 43. [ad v. 874.] Locus ille ὁ *Συκοφάντης*] *οὐ δικαίως τοὔνομα ἐν τοῖσι μοχθηροῖσιν ἐστι κείμενον,* etc. qui prosam orationem simulat, sex constat senariis,

---

*) [*Voluit Bentleius σιγὰν νυν ἅπας, prout editur apud Hephaest. p. 47. ed. Gaisf.*]

῾Ο συκοφάντης οὐ δικαίως τοὔνομα

᾿Εν τοῖσι μοχθηροῖσιν, etc.

et ex Athenaei, p. 74. huc traductus est a Florentinis; quem editio Aldi non agnoscit. Verba sunt Alexidis in dramate *Ποιητῇ*. vides opinor verum esse quod antea tibi dixi, nullo scripto codice usos esse istos nebulones, sed aut de suo nugas aliquas confinxisse, aut hinc inde *ῥημάτια* quaedam emendicasse.

Pag. 44. [ad v. 908.] *Εὐριπίδης ἐν Βάκχαις· εἰ μὴ γὰρ ἴδιον ἔλαβον εἰς χεῖρας μῖσος*: at *μῖσος* priorem producit; lege ergo sine dubio *μύσος*: tu quaere locum in Bacchis, quae etiamnum extant *). Pag. 52. [ad v. 1130.] Locus Eubuli est, *Καὶ πρός γε τοῦτο*, etc. quem sic restitue,

Καὶ πρός γε τούτοις ἀσκὸν εἰς μέσον χαμαὶ

Καταθέντες εἰσάλλεσθε, καὶ καγχάζετε

᾿Επὶ τοῖς καταῤῥέουσιν.

Cum haec scripseram, consulens Suidam in *᾿Ασκωλιάζειν*, si is forte habuerit hoc fragmentum, inveni ibi quidem, et tertio Senario integrius, *᾿Επὶ τοῖς καταῤῥέουσιν ἀπὸ κελεύσματος*· Hinc igitur Scholiastem restitue; reliqua ut a me emendata sunt, partim a Suida confirmantur, partim meliora sunt. Indolui autem ex animo, cum ex tua editione comperi, nihil tibi suboluisse de versibus Senariis. Quid quod intactum praeteris, *Εὔβουλος ἐν Δαμαλίᾳ*; quasi *Damalia* nomen esset. Fabricius vero legit *ἐν Δάμαλι α'* itaque et *β'* fuisse colligit. Tu nunc restitue *ἐν ᾿Αμαλθείᾳ* ex Athenaeo. (II. 63. D.) 430

Pag. 53. [ad v. 1139.] Locus Theopompi senarius est, A. *Εἴσω δραμὼν αἴτησον.* B. *ἀλλ᾿ οὐκ ἐκφορά.* p. 55. [ad v. 1195.] Strattidis locus mendosus sic corrigendus est; *᾿Αλλὰ γὰρ Στράττις πρὸ ἀμφοτέρων τού-*

---

*) [*In Bacchis non exstat hic versus, qui sumtus erat ex ista parte quae intercidit post v.* 1328. *ubi* vid. *Elmsl.*] *Additam.*

των (scil. dramatibus Pluto et Concionantibus) τοὺς Ποταμοὺς διδάσκων (nota illam fabulam a viris doctis omissam) εἰς φύλλιον ἀναφέρει τὸ πρᾶγμα; scribe Φιλύλλιον comicum vetustum. Deinde senarios constitue ad hunc modum:

Ὑμεῖς δὲ πάντες ἔξιτ᾽ ἐπὶ τὸ Πύθιον,
Ὅσοι περ ἐστέ, μὴ λαβόντες λαμπάδας,
Μηδ᾽ ἄλλο μηδὲν ἐχόμενον Φιλυλλίου.

Hoc est *Neque quidquam aliud ad imitationem Philyllii.* Atque habes tandem, vir amicissime, quae ad Aristophanis Plutum et fragmenta Poetarum in Scholiis laudata mihi nunc licuit αὐτοσχεδιάζειν, meliora fortasse daturo, si hoc agerem. Sed contenti erimus hoc Catone *); et tu his, qualiacunque sunt, tuo arbitratu uteris, frueris. Caeterum curabis, ut mature ad me deferantur Emendationes tuae ad Nubes et fragmenta in Scholiis; quibus si quid addere possum, non diu te morabor. Vale, et Hemsterhusium communem utriusque amicum meo nomine saluta.

Cantabrigiae, Die Iulii XXIIII.
MDCCVIII.

VI.

431 CELEBERRIMO VIRO LUDOLPHO KUSTERO
RICH. BENTLEIUS, S. P.

Superiores meas literas, Amicissime Kustere, in quibus reliquae ad Plutum detexebantur, ad te salvas pervenisse vix dubito, etsi nondum a te certior factus: tuae enim postremae, quae emendationes tuas ad Nubes attulerunt, prius ex Batavia delatae sunt, quam meae eo appulissent. Pergo nunc, ut stem promissis, Nubes percurrere; si quid tuos oculos effugerit, quod sane perpaullum est, emendaturus. Prius tamen, quam

*) [*Sueton. August.* 87.]

Nubes aggrediar, operae pretium erit, adnotata nostra ad priorem Fabulam recensere: quaedam enim mihi in mentem venerunt, quae tum haud sane recens ab Aristophanis lectione minime advertebam. Quale illud inprimis p. 4. in Schol. [ad v. 39.] *καὶ ἀλλαχοῦ. Ἴαχεν ἀστοῖσιν διὰ τριπόδων ἐριτίμων*; ubi suspicatus sum nomen *Καλλιμάχου* delitescere. Nunc autem video locum adductum esse ex Equitibus p. 244. [ed. Kust. v. 1013. Br. v. 1016.] *Ἴαχεν ἐξ ἀδύτοιο διὰ τριπόδων ἐριτίμων*: quomodo hic corrigendum.

Ad firmandam conjecturam nostram p. 30. [v. 583.] *τὸν Ὀλύμπι' ἀγῶνα*; addo locum Menandri ex Schol. ad Acharn. p. 269. [ad v. 201.] — *τραγῳδοῖς ἦν ἀγὼν Διονύσια.* Illud p. 40. [v. 800.] quod conjeceram, *ὄχλος δὲ ξενικὸς οὑτοσί* firmari potest ex vers. ultimo Equitum, *Ἵν' ἴδωσιν αὐτὸν οὓς ἐλωβᾶθ' οἱ ξένοι.* ex Acharn. p. 282. [v. 503.] *Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὑπὶ ληναίῳ τ' ἀγὼν, Κοὔπω ξένοι πάρεισιν* etc. Nempe, ut vides, plerique festis aderant exteri. Quod p. 34. [v. 640.] Aldinam lectionem praetulerim, *Μέγα βροτοῖσι φέγγος Ἀσκληπιόν*; bonum factum ut constat ex loco Equitum, p. 255. [Kust. v. 1316. — Br. v. 1319.] *Ὦ ταῖς ἱεραῖς νήσοις ἐπίκουρε καὶ φέγγος ἐν Ἀθήναις.* Qui tamen ipse locus, cum adversus metrum peccet sic obiter reponendus est,

Ὦ ταῖς ἱεραῖς νήσοις ἐπίκουρε φανεὶς καὶ φέγγος Ἀθήναις.

Emendationem probo ex p. 237. [K. v. 832. — Br. v. 836.] ibidem. *Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποις φανεὶς μέγιστον ὠφέλημα.* Iam illud, p. 46. [v. 947.] *τοῦτον τὸν ἰσχυρὸν θεὸν*, ne dubites *τὸ ἰσχυρὸν* secundam syllabam producere; consule sodes pag. 159, 285, [Acharn. v. 591.] et 298. [Acharn. K. v. 941. — Br. v. 943.] Pagina vero 4. [v. 43.] unice probo emendationem illam, quae sic habet,

432 Πείθειν δέ μ' αὐτὸν ξυνακολουθεῖν οἴκαδε adeo ut τὸ συνακολουθεῖν nullum casum post se habeat: quemadmodum et pag. 146. [Ran. K. v. 402. — Br. v. 399.] Δεῦρο συνακολούθει πρὸς τὴν θεόν. pag. 46. [v. 949.] illud forte praeterieram, "Οτι καταλύει περιφανῶς εἷς ὢν μόνος; ubi lego, Ὁτιὴ καταλύει ut alibi, p. 310, 2. [Vesp. v. 2.] φυλακὴν καταλύει — et 495. [Eccles. v. 453.] Δῆμον καταλύει —

Iam quod anxie quaesiveras exemplum dari, quo constet τὸ σκυλοδέψης primam corripere, Ecce tibi in Ecclesiaz. p. 494. [v. 419.]

Ἰέναι καθευδήσοντας ἀπονενιμμένους Ἐς τῶν σκυλοδεψῶν —

Ita exhibet editio Aldi princeps; ita Suidas in σκῦλα; ut de scriptura non sit dubitandum. At in Basileensi ibi extat ἐς τῶν σκυτοδεψῶν. At nobis licet oppedere istis mangonibus. Faciunt enim, quod alii, eorum similes, semper fecerunt, ut deletis verbis reconditis usitatiora supponant. Sic istud apud Suidam in Ἀγρείᾳ ex Epigrammate

τὸ σκύτος ἀγρείης εἵνεκα τῆς πλατάνου, quod tu intactum reliquisti, sic refingendum est,

Τὸ σκύλος ἀγρείης τεῖνε κατὰ πλατάνου.

Nimirum hic ipse locus est, quem in postremis literis tibi indicaveram ex Anthol. lib. vi. cap. ἀπὸ ποιμένων. Atque ibi pro ἀγρείης non poenitenda quidem conjectura correxeram ἀερίης. Ut Horatius, Tecum sub *alta* vel *platano*, etc. *). Nunc vero auctoritate Suidae ἀγρείης admitto; et priora illa indicta sunto. Iterum apud Suidam in vo. Ἀμφίδορον, et Ἀχαΐνη et Ἀχαιΐνη nunc quidem extat,

Καὶ σκύτος ἀμφιδόρου στικτὸν Ἀχαιΐνεω.

---

*) [*Virgil. Cul.* 122. *Aeriae platanus. cf. Ecl.* I. 59. ἀγρείης *citat Porsonus Adv. p.* 306.]

At tu ipse in voce *θίασος* ex Anthologia inedita recte dedisti,

Καὶ σκύλος, etc. Quare fidenter, o amice, τὸ *σκυλοδεψεῖν* in Pluto repone; et conjecturam tuam *σκατοδεψεῖν* in Lethen projice *). Porro [v. 1012.] Emendatio illa nostra, praefiscine dixerim, eximia, quam non dubito tibi valde probari, *Νηττάριον ἂν καὶ φάττιον ὑπεκορίζετο*, lucem aliquam et fidem foenerabitur ex illo loco in Pace, p. 472. [v. 1004.] ubi illae 433
aviculae itidem junctae apparent,

χῆνας, νήττας, φάττας, τροχίλους.

Pergamus jam faustis avibus, ad Nubes, ubi opus fuerit, castigandas. Primum illud p. 62. [v. 58.] non placet

ΣΤΡ. δεῦρ' ἐλθ' ἵνα κλάῃς. ΘΕ. διατὶ δὴ κλαύσομαι.

Duriusculum enim est, quod *να* in *ἵνα* ob geminam sequentem producitur, et aures offendit. Non paulo sane rotundius corriperetur; et eo pacto Strepsiadae verba caesura finirentur, quod venustius. Adde quod pro *ἔλθ'* reponendum est *ἴθ'* auctore Suida; qui in *Δεῦρο* ex Nubibus citat *Δεῦρ' ἴθ' ἵνα κλάῃς*, hunc ipsum scilicet locum indicans. Quare omnino reponendum. *Δεῦρ' ἴθ' ἵνα κλάῃς. Διατὶ δὴ κεκλαύσομαι*: ut haec ipsa Fab. p. 125. [K. v. 1438. — Br. v. 1436.] *Μάτην ἐμοὶ κεκλαύσεται, σὺ δ' ἐγχανὼν τεθνήξει.* Pag. 63. [v. 73.] *Ἀλλ' οὐκ ἐπείθετο τοῖς ἐμοῖς οὐδὲν λόγοις.* Mollior et numerosior erit versus, si legeris, *Ἀλλ' οὐκ ἐπίθετο.* — Sic alibi passim habet *πιθοῦ* et *πιθοίμην*, potius quam *πείθου*. Pag. 66. [v. 130.]

---

*) (In Marg.) Adde et hoc ad Plutum, p. 47. [v. 1000.] *Ἀμητά τε προσέπεμψεν ἡμῖν τουτονί.* Non locus est conjunctioni *τε*: lege vero ex Etymologo in *Ἄμης*: *Ἄμητα προσαπέπεμψεν ἡμῖν τουτονί.*

Λόγων ἀκριβῶν σκινδαλμοὺς μαθήσομαι.

Ubi Spondaeus loco quarto ferri omnino nequit. Repone ex Suida et Hesychio,

Λόγων ἀκριβῶν σκινδαλάμους μαθήσομαι.

Anapaestus enim facile admitti potest eo loco; Spondaeus ut dixi, minime.

Pag. 67. [v. 145.] *ψύλλαν ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας.*

Leve quidem mendum; sed in tam luculenta tua editione nihil contemnendum: scribe *τοὺς αὑτῆς πόδας.* Pag. 71. [v. 214.]

Ἀλλ' ἡ Λακεδαίμων ποῦ 'στιν. Ὅπου 'στιν; αὑτηΐ.

Rotundius fuerit, *ποῦ 'σθ' ὅπου 'στιν.* Caeterum versu sequente sic hodie,

Ὡς ἐγγὺς ἡμῶν· τοῦτο πάνυ φροντίζετε
Ταύτην ἀφ' ἡμῶν ἀπαγαγεῖν πόῤῥω πάνυ.

At olim alia lectio erat, *τοῦτο μέγα φροντίζετε*; quod Scholiastes agnoscit; et Suidas in *Μέγα*, ubi *τὸ μέγα* interpretatur *πάνυ.* Nimirum illud *πάνυ* ex glossemate irrepsit; et invenuste profecto, cum mox sequatur *πόῤῥω πάνυ.* Neque tamen *τὸ μέγα* admiserim; cum nomine quidem adjectivo junctum, ut *μέγ' ἄριστος*, fortassis in Comoedia Attica ferri potest; at
434 cum hoc verbo junctum pro *μεγάλως* plane Homericum*) est. Quid ergo? equidem sic ab auctore scriptum esse existimo, vel potius suspicor;

Ὡς ἐγγὺς ἡμῶν. τοῦτο μεταφροντίζετε.
Ταύτην ἀφ' ἡμῶν ἀπαγαγεῖν πόῤῥω πάνυ.

---

*) (Marg.) Nisi fortassis tueri possit quis, ex illo quod statim occurrit, *ἀναβόησόν μοι μέγα.* Sic et alii dixerunt *βραχὺ φροντίζειν, βραχέα φροντίζειν.* Ergo, cum haec mihi negligenti (*sic, An* religenti?) *περιεργότερόν πως καὶ κακοζηλότερον* videatur *τὸ μεταφροντίζειν*, unice nunc probo illam lectionem, *μέγα φροντίζ.* et sic excudendum puto.

Nempe viderat in tabula illa Geographica Spartam quam male oderat et metuebat, propinquam esse Athenis: hoc ille putabat facinus esse *τῶν φροντιστῶν*, qui eam tam prope adduxissent. Ergo, inquit, hoc *μεταφροντίζετε*, id est, mutate et corrigite hoc, *ὦ φροντισταί*, et Spartam quam longissime potest a nobis amolimini; alioqui poenas dabitis. Hoc equidem sensu vocabulum eleganter et apposite fictum puto: tui erit judicii. Mox eadem pagina, [v. 219.]

Αὐτός· τίς αὐτὸς Σωκράτης· Σώκρατες
Ἴθ᾽ οὗτος ἀναβόησον αὐτόν μοι μέγα.

In priore versu deficit syllaba: Tu quidem siles; sed, opinor, reponis, *Ὦ Σώκρατες*. Et sane Scholiastes clare agnoscit istam lectionem. Frustra; nam praeterquam quod adversus *τὸ ἦθος* peccat; apparet ex versu abhinc tertio, *αὐτὸς σὺ κάλεσον*, nondum tum Strepsiadem compellasse Socratem. Lego itaque,

Αὐτός· τίς αὐτός; Σωκράτης. τί; Σωκράτης.

Ut Latinis *quid* vel *hem* admirantis particulae. Pag. 75. [v. 267.] Sic hodie habemus, *τὸ δὲ μὴ κυνῆν οἴκοθεν ἐλθεῖν ἐμὲ τὸν κακοδαίμον᾽ ἔχοντα*. Atqui *κυνῆν* priorem corripit. Ergo metri gratia repone *κυνέην*. Mox ibidem [v. 271.]; pro *χρυσέοις ἀρύεσθε πρόχουσιν*, lege, *χρυσοῖς ἀρύτεσθε πρόχουσιν*. Hoc *ἀρύτεσθε* a Suida confirmatur, qui notat scriptum esse per *τ*. vide eum in *Ἀρύτεσθε*. Denique eadem pagina, [v. 274.] *Ἀέναοι νεφέλαι | ἀρθῶμεν φανεραὶ | δροσερὰν φύσιν εὐάγητον | πατρὸς ἀπ᾽ ὠκεανοῦ βαρυαχέος | ὑψηλῶν ὀρέων κορυφὰς ἐπὶ | δενδροκόμους*. Ubi ordo est, *Ἀρθῶμεν ἀπ᾽ ὠκεανοῦ ἐπὶ κορυφὰς ὀρέων*. Quid igitur sibi volunt ista, *δροσερὰν φύσιν εὐάγητον*? Primum, nulla hic syntaxis est; neque nullum verbum, cui adhaerere possunt. Neque enim hic dixeris, aut *ἀρθῶμεν φύσιν*, aut *φανεραὶ φύσιν*. Deinde, quid est *εὐάγητον*? Suidas 435
καθαρὰν, λαμπρὰν; Scholiastes *πανταχοῦ φερομένην, ἢ λαμπράν*. Quae hariolationes sunt hominum ad

incitas redactorum. Ex Antistropha εὔανδρον γᾶν, scias εὐάγητον secundam producere: ergo doricum est pro εὐήγητον· quid hoc ad λαμπρὰν? neque erit πανταχοῦ sed ῥ ᾳ δ ί ω ς φερομένην. Quae si arridet interpretatio; tum legas licet, δροσερὰν φύσιν ε ὐ ά γ η τ ο ι. Sed languet meo judicio haec oratio, et potius legerim δροσερὰν φύσιν εὐγάθητοι, *jucundae, delectabiles;* vel εὐάντητοι. Nimirum nubes, ubi roribus foetae sunt, εὐάντητοι; ubi tonitrubus et procellis, δυσάντητοι merito dicantur. Sed nihil hic certi sine ductu Manuscriptorum: et queror te tam paucas variantes lectiones mecum communicare: cum sine dubio plures sint. Si omnes, ut ad te missae sunt, mihi indicaveris; vel ex corruptis aliquid possem extundere. Pag. 77. [v. 305.] Ναοί θ᾽ ὑ ψ ι φ ε ρ ε ῖ ς, καὶ ἀγάλματα. Quid illud? Florentinorum nempe commentum. Nam Aldus dederat ὑ ψ ι ρ ε φ ε ῖ ς. lege certissime ὑψερεφεῖς; ut Homerus passim — καὶ ὑψερεφὲς μέγα δῶμα. Pag. 78. [v. 323.] "Ἡσυχ᾽ αὐτὰς — Peccat versus, qui a trochaeo inchoatur; sed recte Aldus, Ἥσ υ χ α τ α ύ τ α ς; et sic reponendum. Pag. 79. [v. 325.] pro ἤδη νῦν μόλις ὁρῶ, tu ex codice Vaticano restituis ἀ θ ρ ῶ. Hoc scilicet, quia Spondaeus ibi requiritur. At ἀθρῶ cum compositis et similia vix unquam producuntur apud Comicos: deinde putidum est variare, καθορᾶν, et mox ἀθρεῖν. Sane Codicis Vaticani parva apud me auctoritas est, quantum ex excerptis tuis video; et recentissimus mihi videtur. Utcunque sit, adhuc syllaba desideratur ad versum complendum; et legendum ἤ δ η ν υ ν ὶ. Ego sic ex ingenio restitueram:

Ὡς οὐ καθορῶ. Παρὰ τὴν εἴσοδον. Ἤδη νυνὶ μόλις ἑ ώ ρ ω ν.

ἑώρων διαυλλάβως, ut saepe: sic Ὀρνιθ. p. 427. [v. 1572.]

Ἑώρακα πάντων βαρβαρώτατον θεῶν.

Mihi quidem haec verior et elegantior videtur lectio, quam illa Vaticana, quae itidem a correctore quodam profecta est. Pag. 80. [v. 334.]

Τμῦτ᾽ ἄῤ᾽ ἐποίουν ὑγρᾶν νεφελᾶν στρεπταιγλᾶν δάϊον ὁρμάν.

Ita nunc editur: sed Aldus errore typographico duplicem accentum posuit, *στρεπταίγλᾶν:* quorum prior, non posterior, retinendus erat, et Scholiaste et Suida auctoribus. Etsi, ut jam nunc animadverto, utramque 436
lectionem proferat Scholiastes; ut crediderim dedita opera duplicem accentum ab Aldo fuisse positum. Sed quid demum est illud *στρεπταίγλαν*? explicant scilicet *τὴν στρέφουσαν τὴν αἴγλην καὶ ἀφανίζουσαν*, *avertentem solis radios.* Quod analogia ipsa non patitur; siquidem *στρεπτὸς* passive significat, non active: et deinde ipsa *ἔννοια* est humilis et puerilis. Verterim potius *στρεπταίγλαν tortum fulgur emittentem;* nam ad fulgur nubium, non solis lumen hic respici quivis poeta contenderit *). Tamen, utcunque hoc satis concinnum est, auguratur tamen animus poetam scripsisse *στραπταίγλαν: στράπτειν* scilicet est *ἀστράπτειν*, ut *στεροπὴ, ἀστεροπή; σπάραγος, ἀσπάραγος; στραπὴ, ἀστραπὴ*, si fides Etymologo. Mox lego [v. 336.]

εἶτ᾽ ἀεριάς, διεράς, γαμψούς τ᾽ οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς, *τ᾽* addito: ne cum Scholiaste et Suida, *nubes* putide vocemus *γαμψοὺς* et *οἰωνούς.* et mox [v. 338.] repono,

Κεστρᾶν τεμάχη μεγαλᾶν ἀγαθᾶν, κρέα τ᾽ ὀρνιθήϊα κιχλᾶν.

Denique ibidem [v. 344.] sic nunc editum est,

Ἀποκρίναι νῦν ἅττ᾽ ἄν σ᾽ ἔρομαι· Λέγε ταχέως ὅτι βούλει.

Nihil hic adnotas: mirabor tamen, si codices Mscripti in hac lectione consenserint. Corrigo: *Ἀποκρίναι νῦν ἅττ᾽ ἄν σ᾽ ἔρομαι. Λέγε δὴ ταχέως, ὅτι βούλει.* vel *ἅττ᾽ ἂν ἔρωμαι.* Pag. 81. [v. 347.] ex

---

*) (*Sic* MSS. *Legendum videtur*, quivis a poeta cont.)

MSS. profers, πάνθ' ὅτι βούλονται, κᾆτ' εἰ μὲν. Meliuscule Aldus κᾆτ' ἢν μὲν. Ego jam olim restitueram,

Γίνονται πᾶν ὅτι βούλονται, κᾆτ' ἢν μὲν ἴδωσι κομήτην.

etsi et πάνθ' admitti poterit. Ibidem [v. 357.] ex iisdem reponis,

Χαῖρ' ὦ πρεσβῦτα παλαιογενὲς, θηρατὰ λόγων φιλομούσων, et id melius quam παλαιγενὲς, ὦ θὴρ Scaligeri, etsi Suidas παλαιγενὲς hic firmet, et sic caeteri poetae et Lexicographi. Quidni tamen παλαιογενὴς ut νεογενής. Pag. 82. [v. 364.] *Αὗται γάρ τοι μόναι εἰσὶ θεαί.* quid tum, si solae sunt *divae*: et alii possunt esse dii nihilominus. Ergo lego, *Αὗται γάρ τοι μόναι εἰσὶ θεοί, τἄλλα δὲ πάντ' ἐστὶ φλύαρος.* vel forte μόνοι εἰσὶ θεοί. *Hae nubes sunt soli dii, quos nos agnoscimus.* Recte ibidem [v. 368.] MSS. tui μεγάλοις δέ σ' ἐγὼ σημείοις: et sic ego ex conjectura jam a multis annis. Mox [v. 371.] ibidem. τούτῳ γέ τοι τῷ νυνὶ λόγῳ. lege ex metri ratione Νὴ τὸν Ἀπόλ-
437 λω, τοῦτο γέ τοι τῷ νυνὶ λόγῳ εὖ προσεφύσας. Ibidem [v. 376.] legitur, *Κᾆτα κρημνάμεναι πλήρεις ὄμβρου.* plane contra metrum. Oportuit potius, *Κᾆτα κρεμάμεναι*: sed recte Aldus unica voce. κατακρημνάμεναι: neque conjunctio in sententia requiritur. Rursus ibidem [v. 381.] pro οὐδέπω corrige, *Ἀτὰρ οὐδέν πω περὶ τοῦ πατάγου καὶ τῆς βροντῆς μ' ἐδίδαξας.* Porro, p. 83. [v. 389.] recte παππάξ bis scribis ex Vaticano; atque ita plane Suidas Παππὰξ παππὰξ, ἦχος πορδῆς. Restat tamen mendum, quod tu non animadvertisti. Primo inquit sonat παππὰξ, secundo παπαππὰξ, et tertio itidem παπαππάξ. Hoc ineptissimum; crescere enim debet sonus singulis vicibus hoc modo, παππὰξ, παπαππὰξ, παπαπαππάξ. Quare corrigo,

Ἀτρέμας πρῶτον παππὰξ παππὰξ, κἄπειτ' ἐπάγει γε παπαππὰξ,

Χὤταν χέζω, κομιδῇ βροντᾷ παπαπαππὰξ, ὥςπερ ἐκεῖναι.

vel verbo inverso sic legas

Ἀτρέμας πρῶτον παππὰξ παππὰξ ὑπάγει (*sic*) *κἄπειτα παπαππάξ.*

Pag. 83. iterum, [v. 398.] sic legitur

Εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους πῶς δῆτ᾽ οὐχὶ Σίμων᾽ ἐνέπρησεν

versus una syllaba excedit; et, aut *πῶς* aut *δῆτ᾽* ejiciendum est, etsi Suidas in *Σίμων*, et Scholiastes ad Acharn. p. 267. utrumque agnoscit. Dele vero *πῶς*, quod in priore parte sententiae ponitur *Καὶ πῶς ὦ μωρὲ σύ*. Recte autem emendas, p. 84. [v. 400.] *Καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνῶν;* ut et ego olim adolescens, tam vi metri, quam Homeri auctoritate *Ὀδ. γ.* (278.)

Ἀλλ᾽ ὅτε Σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ᾽ ἄκρον Ἀθηνῶν

Ibidem; [v. 402.] *Οὐκ οἶδ᾽ ἀτὰρ εὖ λέγειν φαίνει* — deest syllaba *εὖγε λέγειν*, vel *σύ*, sed illud potius. Porro [v. 411.] recte ex Laertio verborum ordinem permutas, *Ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας*; ut et nos juvenes feceramus: in caeteris noli sequi Laertii scripturam, sed editiones; praeterquam in illo [v. 415.]

Μήτε ῥιγῶν ἄχθει λίαν, μήτε γ᾽ ἀριστᾶν ἐπιθυμεῖς.

qui bis peccat in metri legem. Trochaeus perperam est in primo loco; deinde *τε γ᾽ ἀρισ* non est anapaestus; *ἀριστᾶν* enim primam producit. Sed prius erratum corrigit Aldus *μήτε γε ῥιγῶν* vel Suidas in *Τρίβων*, *Μήτ᾽ οὖν ῥιγῶν*, vel Laertius *μήτ᾽ αὖ ῥιγῶν;* 438
posterius Suidas et Laertius, *τό γε* abjicientes! tu versum sic imprimendum cura

Μήτε γε ῥιγῶν ἄχθει λίαν, μήτ᾽ ἀριστᾶν ἐπιθυμεῖς.

Mox [v. 421.] eadem pagina *Ἀμέλει θαῤῥῶν ἕνεκα τούτων* — vides tribrachyn tertio loco, qui admitti non

potest; lege aut *εἵνεκα τούτων*, aut *οὕνεκα* aut potius *ἕνεκεν* ut paullo ante.

Pag. autem 85. [v. 422.] sic editiones posteriores exhibent, *Ἄλλο τί δῆτ' οὐ νομιεῖς εἶναι*. tu rescribe ex Aldina

Ἄλλο τί δῆτ' οὖν νομιεῖς ἤδη θεὸν οὐδὲν, πλὴν ἅπερ ἡμεῖς:

Sic plane Aldus, nisi quod *οὐδένα* cum reliquis habet, quod nos in *οὐδὲν* mutavimus, vi sententiae. Ordo est, *Οὐδέν τι ἄλλο νομιεῖς θεὸν, πλὴν ἅπερ ἡμεῖς*. Recte autem *οὖν* pro *οὐ*: nam negatio est in *οὐδέν*. Mox versu sequenti, *Οὐδ' ἂν διαλεχθείην*, Suidas paullo melius in *Ἀτεχνῶς* habet, *Οὐκ ἄν*: et sic locus excudendus. Ceterum ibidem [v. 432.] *γνώμας μεγάλας*, recte deles *μεγάλας* auctore MSto, ut nos juvenes ex loco Suidae in *γνώμα*, et ex Vespis, p. 331. [K. v. 592. — Br. v. 594.]

Κἂν τῷ δήμῳ γνώμας οὐδεὶς πώποτ' ἐνίκησεν, ἐὰν μὴ

qui locus huic plane germanus est. Illud vero eadem sententia *Ὥστε τὸ λοιπόν γ' ἀπὸ τουδὶ*, Suidas in *γνώμα* exhibet *ἀπὸ τοῦ νῦν*: alibi vero *ἀπὸ τοῦ δή*: sic enim loquitur, *Ἀπὸ τοῦ δή, ἀπὸ τοῦ νῦν, Ἀριστοφάνης Νεφέλαις*. Hunc ipsum locum voluit: nihilo tamen minus sanissima est lectio vulgata. Ibidem [v. 441.] in Anapaestis legitur,

Αὐχμεῖν, ῥιγοῦν, ἀσκὸν δέρειν,

sine dubio mendose; cum Jambus sit pro anapaesto vel spondaeo: Scaliger emendat *ἀσκὸν δείρειν* quod nusquam extat. Tu repone *ἀσκόν τε δέρειν*. illud enim ex pluribus novissimum ponitur; ergo recte *τε* additur. Idem mox [v. 446.] in illo versu, *Εὑρεσιεπὴς περίτριμμα δικῶν*, reponit *εὑρεσσιεπής*; quod cum poeticum non nisi in choro tulerim, ego verius castigo, *Εὑρησιεπής*: et sic excudi debet; Pag. 87. [v. 460.] nunc legitur, *ἐν βροτοῖσιν ἕξεις*; at apud Suidam in

Οὐρανόμηκες habetur *ἕξων*: recte opinor; et sic totus locus constituendus. *ἴσθι δὲ | ταῦτα μαθὼν παρ' ἐμοῦ | κλέος οὐρανόμηκες | ἐν βροτοῖσιν ἕξων.* Attice dixeris *ἴσθι ἕξων*, potius quam *ἴσθι ὡς ἕξεις*. Illud praeterieram p. 86. [v. 450.]

Στρόφις, ἀργαλέος, ματιολοιχός.

Quod verbum agnoscunt Scholiastes, Photius, Sui- 439
das, Eustathius, alii. Hesychius habet *ματαιολοιχός*. Quorum alii a *μάταιος*, alii a *μάτιον* quod *ἐλάχιστον* significare volunt, vel a *μάτιον*, mensurae genere, deducunt. Omnia haec ex uno hoc Aristophanis loco fluxerunt, et eo quidem, ni fallor, mendoso. Nam ex Anapaesti lege *ματιολοιχὸς* primam producere debet; ergo non est a *μάταιον* quod primam corripit: illud vero *μάτιον* sive *minimum quid*, sive *mensura*, quo sponsore admittemus? Quis alias hoc dixit, quis fando audivit? Grammaticorum haec deliria sunt, qui, ut celent ignorantiam suam, nihil non fingere audent; plane ut in *νιτάριον* et *βάτιον* jam antea vidimus. Nam, ut demus id quod contendunt, quae demum sententia exorietur? *ματαιολοχὸς*, *vanorum linctor*, *vanilinguus* eleganter sane, *et ματιολοιχὸς*, *minimorum linctor. vel mensurarum linctor:* quid restat, nisi ut tam putidis nugatoribus *λειχάζειν* dicamus. Minima enim mutatione sic locum corrigo,

Στρόφις, ἀργαλέος, ματτυολοιχός.

Ματτύη autem quid sit, optime calles, *bellaria* nempe, lautitiae; turdi et id genus; nôsti illud Martialis, Inter quadrupedes mattya prima lepus: nôsti etiam ex Athenaeo Aristophanem verbo *Ματτύη* offensum; *ματτυολοιχὸς* igitur, ut *κνισσολοιχὸς*, *mattyarum linctor*, quod non gulositatem modo, sed et impudentiam notare possit, ut cum caeteris hic epithetis *θρασὺς*, *τολμηρὸς*, etc. congruat. Iterum p. 87. [v. 484.] *Εἰ μέν γ' ὀφείλεταί μοι*, corrige, *Εἰ μέν γ' ὀφείλεταί τι μοι*, *μνήμων πάνυ.* p. 88. [v. 505.] Recte Scaliger, *Οὐ μὴ*

λαλήσῃς, ἀλλ' ἀκολουθήσῃς ἐμοί: quod facillimum est; tum p. 89. [v. 520.] *Οὕτω νικήσαιμ' ἔγωγε* — lege ex versus ratione

Οὕτω | νική | σαιμι τ' ἐ | γὼ | καὶ νο | μιζοί | μην σοφός |

vel σαιμί γ' ἐγώ.

Ea enim hujus Metri Eupolidei lex est inviolabilis, ut in tertio loco dactylus sit; at in disyllabis illis pedibus vel Jambus, vel Trochaeus pro arbitrio Scriptoris licite usurpari potest. Falleris ergo, doctissime amice, cum p. 90. [v. 527.], sic versum hujus generis refingis;

Ἀλλ' οὐδ' | ὡς ὑ | μῶν προ | δώ | σω ποθ' ἑ | κὼν τοὺς | δεξιούς.

hoc enim pacto, ut jam vides, in tertio loco Trochaeum, dactylum vero post caesuram ponit; utrumque contra versus rationem. Enimvero recté habet recepta Lectio,

440 *Ἀλλ' οὐδ' ὡς ὑμῶν ποθ' ἑ | κὼν | προδώσω τοὺς δεξιούς.*

Illud tibi credo errandi causam dedit, quod pars posterior hujus *ἀσυναρτήτου* ab Jambo *προδώ* inceperit. Atqui hoc ut dixi legitime factum; ut iterum [v. 535.] eadem pagina

Ζηλοῦσ' ἦλθ' ἣν ποὐπιτύ | χη | θεαταῖς οὕτω σοφοῖς.

Sic enim repone, non ut vulgo ἦλθεν ἥν. et rursus p. 91. [v. 549.]

Ὅς μέγιστον ὄντα Κλέ | ων' | ἔπαισ' ἐς τὴν γαστέρα;

et sic alibi in aliis fabulis. Versus autem qui continuo sequitur, p. 91. sic se habet, *Κοὐκέτ' εἰσαῦθίς γ' ἐπεπήδησά γ' αὐτῷ κειμένῳ*; at a Suida in *Ἐμπηδῆσαι* sic profertur, *Οὐκ ἐτόλμησ' αὖθις ἐμπηδῆσαι αὐτῷ κειμένῳ*; quae ut saepe fit ex Scholiastarum paraphrasi accepta sunt, non ex ipso textu. Quid autem illud

ἐτόλμησα, et unde natum? Restituo tibi, ut opinor, lectionem veram diu extinctam, quam σχολιαστὴς ille expresserat,

Κοὐκ ἔτλησ' αὖθις γ' ἐπιπηδῆσαι γ' αὐτῷ κειμένῳ.

Οὐκ ἔτλησα vel *ἔτλην non sustinui, non in animum induxi* jacenti insultare; hoc animi generosi argumentum erat. Quid vero illud ibidem? [v. 556.]

Ἧν Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ' —

Φρύνιχος quidem primam longam habet, et utcunque esset brevis, in primo loco non stabit dactylus. Rejice igitur ἣν ad superiorem versum, sic,

Προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθυσὴν τοῦ κόρδακος οὕνεχ', ἣν
Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν.
Εἶθ' Ἕρμιππος αὖθις πεποίηκεν εἰς Ὑπέρβολον.

Lege insuper in hoc novissimo αὖθι πεποι; ut dactylus sit in loco tertio.

Pag. 92. [v. 575.] Ὦ σοφώτατοι θεαταὶ, δεῦρο τὸν νοῦν προσέχετε·

Ferri quidem poterat pes ille proceleusmaticus; sed quid opus? cum et rotundius sit et ἀττικώτερον, — δεῦρο τὸν νοῦν πρόσχετε. sic potius Athenis loquebantur, quam προσέχετε; ut Pherecratis hac ipsa pagina a Scholiaste citatus, Ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν, Ἐξευρήματι καινῷ, Συμπτύκτοις ἀναπαίστοις. Sic et infra p. 114. [K. v. 1120. — Br. v. 1122.] lege

Προσχέτω τὸν νοῦν πρὸς ἡμῶν οἷα πείσεται κακά.

non προσεχέτω, ut editum. Sic in pluribus locis sequentium fabularum, quae nunc me indicante tute per te corriges. Pag. 91. [v. 584.] ἡ σελήνη δ' ἐξέλιπε:
quivis legendum esse videat Ἡ σελήνη δ' ἐξέλειπε 441
τὰς ὁδούς· ὁ δ' ἥλιος. Illud vero ibidem, [v. 593.] quod manifeste vitiosum est et metro repugnat,

Αὖθις ἐς τ' ἀρχαῖον ὑμῖν εἴτι κἀξημάρτηται
Ἐπὶ τὸ βέλτιον τὸ πρᾶγμα τῇ πόλει ξυνοίσεται.

Recte, inquis, *exhibet MStus Vaticanus*, *εἴτι κἀξημάρτετε*: esto; at aliud restabat a te emendandum: quid enim fiet τῷ *ὑμῖν*? certe non erit *ξυνοίσεται ὑμῖν*; nam ait *τῇ πόλει*. Ergo legendum fuerit insuper — *ὑμεῖς εἴτι κἀξημάρτετε*; ut paullo ante [v. 589.] *Ἄττ' ἂν ὑμεῖς ἐξαμάρτητ'*? et praeterea, quid erit *ἐς τἀρχαῖον*, *in statum pristinum*? Enimvero *ξυνοίσεται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐς τἀρχαῖον* nullum sensum commodum gignit; neque ullus *συμφέρειν ἐς τἀρχαῖον* usquam dixerit, sed *εἰς τἀρχαῖον καταστα9ῆναι*, vide ergo an nobis melius successerit emendatio.

Αὖθις ὡς τἀρχαῖον, ὑμῖν εἴτι κἀξημάρτετο,
Ἐπὶ τὸ βέλτιον τὸ πρᾶγμα τῇ πόλει ξυνοίσεται.

Iam iterum inquit, sicut olim, sicut ab initio, si quod a vobis peccatum fuerit, id in melius vertet civitati. Pag. autem 94. [v. 615.] et vitiosa interpunctio est, et levis error in litera; quae tamen sententiam pessime deturpant

Ἄλλα τ' εὖ δρᾷν φησιν ὑμᾶς, κοὐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας
Οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ' ἄνω τε καὶ κάτω κυδοιδοπᾷν.

Tu lege et distingue *Ἄλλα τ' εὖ δρᾷν φησιν, ὑμᾶς δ' οὐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας* etc. Luna quidem praeter illa supra memorata, pluribus vos beneficiis ait se afficere; vos vero ingratos omnes dierum rationes conturbare. Pag. 95. [v. 622.] dele *τὸν* et scribe. *Ἡνίκ' ἂν πενθῶμεν ἢ τὸν Μέμνον' ἢ Σαρπήδονα.* Pag. 96. [v. 653.] lego et sic contra Scholiastem explico:

Τίς ἄλλος ἀντὶ τουτουὶ νῦν δακτύλου;
Πρότου μὲν ἔτ' ἐμοῦ παιδὸς ὄντος, οὑτοσί.

Priore versu digitum indicem porrigit, posteriore medium et infamem. Versu vero sequente. *Ἀγρεῖος εἶ καὶ σκαιός*. Ubi scis aliam fuisse olim lectionem.

Suidas enim in Ἀγρεία, legit ἀγρεῖος et alteram etiam memorat ἄγροικος, quae prioris interpretamentum est. Tu vero Suidam hic sequi ne dubita; sic enim supra p. 95. [v. 628. et 629.] ἄγροικον et σκαιὸν una posuit auctor. Ἀγρεῖος autem alibi usurpat Thesmoph. p. 515. [K. v. 167. — Br. v. 160.] Ἀγρεῖον ὄντα καὶ δασύν. Pag. 98. [v. 691.] Ὁρᾷς γυναῖκα δὴ τὴν Ἀμυνίαν λέγεις. tollo δὴ ob versum et sic Aldus. Pag. 98. [v. 703.]

ταχὺς δ' ὅταν γ' εἰς ἄπορον πέσῃς 442
ἐς ἄλλο πήδα νόημα φρενί.

Haec Suidas binis locis in Μεταπήδα et ταχὺς sic exhibet

ταχὺς δ' ὅταν εἰς ἄπορον ἐμπέσῃς
ἐπ' ἄλλο πήδα νόημα φρενός.

De priore equidem nihil habeo quod dicam; cum neque metri lex neque ulla Antistrophae ratio lucem hic affundat: sed de posteriore paene constat mihi sinceram esse Suidae lectionem; siquidem Scholiastes quoque totum firmat, et τὸ φρενὸς in ipso textu Aldus exhibet. Pag. 98. versu ultimo [v. 714.] et p. 99. primo; sic distingue et ad versus redige,

Καί μ' ἀπολοῦσιν. Μὴ νῦν βαρέως
Ἄλγει λίαν. Καὶ πῶς, ὅτε μου et mox

[K. v. 717. — Br. v. 719.]

Φρούδη ψυχή, φρούδη δ' ἐμβάς,

sublato δή, auctore etiam Aldo. Sunt Anapaesti dimetri. Pag. 100. [K. v. 743. — Br. v. 745.] Κίνησον αὖθις αὐτό. Neque syntaxis neque sententia constat. Corrigo, — Κατὰ τὴν γνώμην πάλιν

Κίνησον αὖθ' εἰς αὐτό, καὶ ξυγκάθρισον.

Pag. 102. [K. v. 809. — Br. v. 811.] quaeris utra lectio praeferenda, ἀπολέψεις, an quod membranae et Suidas praeferunt ἀπολάψεις: sine dubio prior ob

justiorem metaphoram anteferenda est; decorticare, deglubere, quod nostrates (*to flay**) *him*;) potius quam *absorbere*. Recepta igitur lectio non est loco movenda: tamen quoniam olim hic variatum est, addo et aliam ex conjectura ἀπολόψεις, quod ipsum est, quod σχολιαστὴς hic suggerit, ἀπολεπίσεις; aut melius ἀποτιλεῖς, *avelles*. Scis illud Callimachi Ὤλοψεν δὲ βίηφι; et emendationem meam a te ad Suidam tantopere laudatam, Ἁ μεγάλα δ' Αἴγυπτος ἐὰν ὠλόψατο χαίταν. Hesychius noster, Ὀλόπτειν, λεπίζειν, τίλλειν, κολάπτειν. Idem alibi, Διαλουφῶν (mendose pro διολούφων) Ὀλούφειν γὰρ οἱ Ἀττικοὶ τὸ τίλλειν:

Pag. 103. [K. v. 830. — Br. v. 832.]

Σὺ δ' εἰς τοσοῦτο τῶν μανιῶν ἐλήλυθας,
Ὥστ' ἀνδράσιν πείθειν χολῶσιν —

Quid hoc? πείθειν utique non est *obtemperare*, sed *persuadere*. Lege sine dubio cum Aldo, Ὥστ' ἀνδράσιν πείθει χολῶσιν. Atticum quippe est πείθει pro πείθῃ a πείθομαι. Quid quod Suidas etiam in Χολῶσι, πείθῃ exhibet. Pag. 104. [K. v. 853. — Br. v. 855.] Ἐπιλανθανόμην ἄν. Scribe ut nu-
443 merosius currat versus, Ἐπελαθόμην ἂν εὐθὺς ὑπὸ πλήθους ἐτῶν. Ibidem [K. v. 858. — Br. v. 860.] pro πειθόμενος bis repone πιθόμενος:

— εἶτα τῷ πατρὶ
Πιθόμενος ἐξάμαρτε. κἀγώ τοι ποτὲ
Οἶδ' ἐξέτει σοι τραυλίσαντι πιθόμενος.

Certe in posteriore loco licet ipse Suidas in ἐξέτει habet πειθόμενος, necessaria est haec emendatio, ne in loco sexto fiat Anapaestus loco Iambi. Ibidem [K. v. 862. — Br. v. 864.]

Τούτου πριάμην σοὶ διασίοις ἁμαξίδα.

Placet quod Suidas habet in ἁμαξίς,

---

*) (MS. *flee*.)

Ὅτ᾽ ἐπριάμην σοι etc.

Nisi ὅτε legas, sententia hiat: refertur autem ad τὸ ποτὲ versu superiore. Locutio vero Atticissima, ὅτε ἐπριάμην σοὶ ἁμαξίδα, ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον; pro ὀβολοῦ ὃν πρῶτον. Ita passim Graeci, et Terentius et Flaccus noster; Serm. II, 2. Cujus odorem olei nequeas praeferre — cornu ipse bilibri Caulibus instillat, pro instillat oleum cujus etc. Quare noli dubitare Lectionem Suidae sequendam esse; τὸ τούτου natum est ex glossemate interlineari, quod scripserat quis ad syntaxin expediendam. Pag. 105. [K. v. 870. — Br. v. 872.] Ἰδοῦ κρέμαιό γ᾽ ὡς — atqui hoc modo pes erit ἀμφιβραχὺς, κρέμαιό γ᾽ ὡς Iambico non admittendus. Lege igitur

Ἰδοὺ κρέμαι᾽, ὡς ἠλίθιον ἐφθέγξατο.

Ibidem [K. v. 874. — Br. v. 876.]

Καίτοι ταλάντου ταῦτ᾽ ἔμαθεν Ὑπέρβολος.

Ita et Suidas in Ἀναπειστηρίαν. Tu vero ob versum, ut ais, ἔμαθεν γ᾽ ibi reposuisti. Perperam; versus enim bene habet, quem tu tardiorem efficis, qui pro Tribracho inducis Anapaestum. Ibidem [K. v. 884. — Br. v. 887.] Ἐγὼ δ᾽ ἀπέσομαι. Ita et Suidas in Ἀπέσομαι. Vix tamen crediderim non solito suo more auctorem hic dedisse, Ἐγὼ δ᾽ ἄπειμι. Pag. 106. [K. v. 893. — Br. v. 896.] nunc legitur

γνώμας καινὰς ἐφευρίσκων.

Atqui Anapaesti hi non recipiunt Iambum; quod qui semel noverit, facile emendabit,

Γνώμας καινὰς ἐξευρίσκων.

mox paullo infra [K. v. 915. — Br. v. 918.]

Γνωσθήσει ποτ᾽ Ἀθηναίοισιν
Οἷα διδάσκεις τοὺς ἀνοήτους.

Ubi in fine Anapaestici Trochaeus est. Ego vero multis probavi cum in notis ad Malelam, tum in Dis-

444 sertatione de Phalaridis epistolis, nullam hic esse in novissima versus syllaba communem, ut ajunt, quantitatem; sed omnes Anapaestos perpetuo tenore decurrere usque ad versum Paroemiacum, qui pro more agmen claudit. Quod a mille annis nemini ut videtur observatum, dignum est quod in Prolegomenis tuis locum inveniat; Unus enim Aristophanes infinita ejus rei exempla praebet: et quotiescunque aliter nunc extat, locus mendi manifestus est. Quemadmodum hic, ubi non minus ob sententiam, quam ob versum repone

Γνωσθήσει ποτ᾽ Ἀθηναίοισιν
Χ᾽ οἷα διδάσκεις τοὺς ἀνοήτους,

Ibidem [K. v. 920. — Br. v. 923.] recte tu sequeris vetustas editiones, *ἐκ πηριδίου*: et valeant Genevenses cum inficeto illo *Εὐριπιδίου*.

Pag. 107. [K. v. 934. — Br. 937.]

Παίδευσον, ὅπως ἂν ἀκούσας σφῶϊν
Ἀντιλεγόντων, κρίνας φοιτᾷ.

Ubi Scaliger, aliud credo agens, temere reposuit *φοιτῶ*. Illud vero nunc semel te monebo, quod centies tibi usui erit, ut semper in textu excudas *σφῷν*, *νῷν*, *πρῷ* etc. non *σφῷϊν*, *νῷϊν*, *πρῷϊ*, ut antehac factum, nam ubique ea vocabula monosyllaba sunt apud Aristophanem. Sapienti verbum est satis. Versu sequente,

φέρε τίς λέξει πρότερος ὑμῶν

ex tribracho, qui ab hoc versu alienus est, fiat anapaestus *πρότερος γ᾽*. Illud quod antea festinans praeterieram; nunc ne iterum me effugiat hic indicabo: pagg. 86. et 87. a versu *Λῆμα μὲν πάρεστι τῷδ᾽* usque ad illum *Ἄγε δὴ κάτειπε*, [v. 456. — v. 477.] omnia illa quae in editionibus *Socrati* tribuuntur, ad Chorum pertinere; et in margine pro *ΣΩ* edendum esse *ΧΟ*. Multis mihi indiciis hoc compertum est: primo Socrates non *cantica* facere debet sed Chorus: Illud vero

[v. 462.] τὸν πάντα χρόνον μετ' ἐμοῦ διάξεις an de Socrate dici potest? immo de Nubibus quarum cultor perpetuus futurus erat Strepsiades. Iam autem quod praecedit [v. 458.] ταῦτα μαθὼν παρ' ἐμοῦ, cujus opinor caussa haec Socrati affingebantur, etiam ad Nubes pertinet, qui p. 85. [v. 430.] hoc ei promittunt, ἀλλ' ἔσται σοι τοῦτο παρ' ἡμῶν. Tum vero, quod maxime valet, distichon illud anapaesticum, p. 87. [v. 476.] ἀλλ' ἐγχείρει τὸν πρεσβύτην, etc. semper fere cantica claudere solet, si Anapaestici mox sequantur; vel si Trochaïci, distichon Trochaicum; et eidem personae tribuitur quae canticum cecinerat. Id tute ob- 445
servabis in aliis Dramatibus. Sed aliud nunc succurrit quantivis sane momenti, quod et ornamento erit editioni tuae et eruditis lectoribus compendio. Omnino tibi auctor sum, ut Stropharum et Antistropharum versus numeris suis notentur, ut statim sciatur, quis cui respondeat; quemadmodum olim a Cantero factum est in Tragicorum editione. Ergo p. 92. [v. 563.] versus Strophae duodecim numerentur; et itidem Antistrophae quae habetur p. 94. [v. 595.] et utrobique vel pagina vel versus totius Dramatis indicetur; ut continuo appareat, quae Stropha cui Antistrophae respondeat; et vicissim: nam interdum remotiores sunt: ut Stropha illa decem versuum pag. 107. [K. v. 946. — Br. v. 949.] antistropham suam demum habet p. 111. [K. v. 1020. — Br. v. 1024.] Nunc redeo ad paginam 107. unde digressus eram [K. v. 950. — Br. v. 953.] Ὁπότερός γ' αὐτοῖν λέγων Ἀμείνων φανήσεται. Primo illud αὐτοῖν non convenit praecedenti verbo δείξετον: persona enim perperam mutatur: *ostendite*, uter *illorum* melior pro *vestrum*. Ergo si αὐτοῖν retinendum erit, legemus Νῦν δειξέτων τὼ πισύνω; *ostendant*, non *ostendite*. Sed sine dubio praestat, ut Chorus eos compellet potius, quam ut de praesentibus persona tertia loquatur. ergo corrigendum veniet τὸ αὐτοῖν, et

sane versus hic non est par socio suo in Antistropha;

. 1. Ὁππότερός γ' αὐτοῖν λέγων

2. Εὐδαίμονες δ' ἄρ' ἦσαν οἱ.

Ergo et versus et sententiae gratia sic repono,

Ὁππότερος ἂν γέ | σφων λέγων,

ut,

Εὐδαίμονες δ' ἄρ' | ἦσαν οἱ.

vel si αὐτοῖν quovis pacto retinendum putas; tum lege, Ὁππότερος ἂν γ' αὐτοῖν λέγων, memor tamen tum omnino castigandum fore, δειξέτων pro δείξετον. Porro si id forte nescis, sex septem versus ex pulcherrima illa ῥήσει, [K. v. 958. — Br. v. 961.] Λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν, etc. p. 107. prodrcit Aristides in Oratione pro Quatuorviris p. 168. 169. Id notas tuas auctiores faciet. Atque ex eo id observabis, φωνὴν παιδὸς γρύξαντος p. 108. [K. v. 960. — Br. v. 963.] venustius multo apud Aristidem extare, ordine inverso,

Πρῶτον μὲν ἔδει παιδὸς φωνὴν γρύξαντος μηδὲν ἀκοῦσαι.

et sic prorsus excudi debet. Illud mox, [K. v. 962. — Br. v. 965.] κεὶ κριμνώδη κατανίφοι verissima Scriptura est; neque permutaverim eam aut τῷ Suidae κρημνώδη aut τῷ Aristidis κρυμώδη. Et iterum

446 ibidem, [K. v. 964. — Br. v. 967.] Ἡ Παλλάδα περσέπολιν δεινάν — utcunque et Suidas et Aristides et Tzetzes Chil. I. 25. agnoscant, versus tamen imperat et cogit, ut περσέπολιν reponamus. Horribilis vero versus est, qui mox sequitur. [K. v. 972. — Br. v. 976.]

Εἴδωλον τοῖσιν ἐρασταῖς τῆς ἥβης μὴ καταλείπειν γε;

ubi anapaestus venit loco dactyli; ut omittam caesuras insuavissimas; et inhonestum illud γε, quod caudae instar a tergo dependet. Lege vero fidenter,

— καὶ προνοῆσαι,

Ὥστ' εἴδωλον τοῖσιν ἐρασταῖς τῆς ἥβης μὴ καταλείπειν.

sequitur ibidem [K. v. 975. — Br. v. 979.]

Οὐδ' ἂν μαλακὴν φυρασάμενος τὴν φωνὴν πρὸς τὸν ἐραστὴν ἂν

Αὐτὸς ἑαυτὸν προαγωγεύων τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐβάδιζεν

Ubi illud ἂν furcillis ejiciendum, quod nescio unde versui integro stulte adnexum est. Deinde quid sodes est φυρασάμενος φωνήν: quis unquam dixerit *vocem miscere ad amatorem?* Sexcenti codices nunquam a me impetrabunt ut hoc credam ab auctore profectum. Vide an Aristarchi μαντικὴν in pectore habeam, cum sic lego,

Οὐδ' ἂν μαλακῇ ψιθυριζόμενος τῇ φωνῇ πρὸς τὸν ἐραστήν,

Κ' αὐτὸς ἑαυτὸν προαγωγεύων τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἐβάδιζεν!

Poteris etiam, κνυζησάμενος, vel σκυζησάμενος. Pag. 108. [K. v. 984. — Br. v. 988.] sic habemus

Ὥστε μ' ἀπάγχεσθ' ὅταν ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις δέον αὐτοὺς

Τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχων ἀμελῇ τῆς τριτογενείας.

Ubi Scholiastes duo notat animadvertenda; olim hoc σεσημειῶσθαι, Post plurale αὐτοὺς singulare induci προέχων ἀμελῇ pro προέχοντες ἀμελῶσι; alterum quod olim varia lectio ferebatur, ἀμέλει non ἀμελῇ. Quod ad prius attinet, nunquam crediderim soloecismum illum ab auctoris manu esse; posterius libenter amplector, et veram lectionem agnosco: lego enim

Τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχωσ' ἀμέλει τὴν τριτογενείας.

Quorum haec est sententia: Sub mea disciplina adolescentes γυμνοὶ incedebant publice (pag. 108.) at
447 sub tua incedunt ἐν ἱματίοις ἐντετυλιγμένοι, ut ira et moerore conficiar, quoties video eos, qui Panathenaeis γυμνοὶ καὶ ἀσπιδοφοροῦντες saltare debent, non saltare quidem, sed τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχειν *) manibus demissis, ne scilicet nuda genitalia conspiciantur; quod olim vulgare erat et minime erubescendum: quin quod magis adhuc absurdum est, ἀμέλει αὐτὴν τῆς Παλλάδος ἀσπίδα, *etiam* ipsum Minervae clypeum (etenim clypei ex Arce delati tum in pompa ferebantur) is qui gestat, prope veretrum suum praefert; quod deae virgini et tam castae maxime contumeliosum. Haec pluribus; quia nescio an vulgo recte haec accepta sint **). Sequitur eadem pagina [K. v. 997. — Br. v. 1001.] — καί σε καλοῦσιν βλιτομάμαν; ubi non contemnenda varia lectio est apud Suidam in Βλιτομάμας, καί σε καλοῦμεν; nos vocabimus, ego et meae disciplinae sectatores, magna pars populi. Tamen lectio recepta, quam et Scholiastes agnoscit, non est sollicitanda. Sed praeterieram id, de quo consulis p. 109. [K. v. 991. — Br. v. 995.] Αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅτι τῆς αἰδοῦς μέλλεις τἄγαλμ' ἀναπλήσειν, quippe Scholiastes aliam profert lectionem, τἄγαλμ' ἀφανίζειν. Primo reponis ob metrum τὤγαλμα; quod usitatius est fateor: sed ut saepe per ᾱ profertur synaloepha, non per ω, ut τἀγαθὸν pro τὸ ἀγαθὸν, atque hic itidem ex brevi syllaba fit longa. Ergo et stare poterit τἄγαλμα: sed, ut mihi videtur, latent hic vestigia diversae lectionis. Erant enim, credo, qui scriberent μέλλεις τἀγάλματα

---

*) (Marg.) Scis olim saltationem manuum magis et brachiorum motu quam pedum constitisse; quod plurima auctorum loca testantur.

**) Si haec tibi minus arrident, lege sensu recepto, verbis diversis προέχωσ' ἀμελεῖς τῆς τριτογενείας.

πλήσειν: unde illud τὰ — remansit, etiam postquam ἀναπλήσειν repositum. Hoc ex Scholiaste conjicio, qui sic παραφράζει, εἴπερ μέλλεις τῆς αἰδοῦς τὰ ἀγάλματα πληρώσειν. Neque tamen hanc lectionem temere admiserim; quia altera olim lectio ferebatur, ἀφανίζειν, narraute Scholiaste; unde necessario τἄγαλμα, vel potius, ut tu mavis, τὤγαλμα tum scriptum erat. Utra igitur lectio melior, ἀναπλήσειν an ἀφανίζειν? tu posteriorem praefers neque injuria. Quid enim sit *implere* ἄγαλμα, si dixero me intelligere; sententiam quidem percipio, dictionem non probo. At ἀφανίζειν *corrumpere agalma*, si de versu bene constet, nihil est quod verba vituperes. Ergo sensum excutiamus: 448
Disces, inquit, foro abstinere et balneis, disces pudorem ingenuum, senioribus loco cedere, parentibus non malefacere, neque aliud quid turpe admittere, ὅτι τῆς αἰδοῦς μέλλεις τὤγαλμ᾽ ἀφανίζειν (ἀναπλήσειν) *quia eo pacto Pudoris signum (imaginem) corrumpes.* Plana quidem haec illatio est, sed oppido friget: atque eo ipso quod tam plana est, a correctoribus videtur profecta, qui τὸ ἀναπλήσειν non probabant. Contra, si ἀφανίζειν a principio extitisset; quis tam laevus, ut ἀναπλήσειν ex conjectura substitueret? Equidem sic existimo, τὸ ἀναπλήσειν non certo studio, sed casu et incuria in textum irrepsisse, a vera lectione paullulum deflexum. Sic enim lego,

— ἄλλο τε μηδὲν
Αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅτι τῆς αἰδοῦς μέλλεις τὤγαλμ᾽
ἀναπλάσσειν.

Nihil turpe, inquit, committes, quia id institutum tuum est ea disciplina, ut verum te Pudoris simulachrum *effingas.* Porro ἀναπλάσσειν ἄγαλμα ex cera, argilla etc. propriissime dictum tu optime nosti. Neque id te morabitur, quod ἀναπλάττειν potius dicere voluit: sic enim καταπλάσσειν bis in Pluto habemus. Eadem autem pagina [vers. seq.] non est ut

cuncteris in textu reponere *τὸ εἰσάττειν* pro *εἰσιέναι;* cum et elegantius sit, et a Suida agnitum, non bis solum ut tu notasti, sed et tertio in v. *Ἄχρηστα.* Pag. 110. [K. v. 1006. — Br. v. 1010.] *Καὶ πρὸς τούτοις προσέχοις τὸν νοῦν;* tu scribe cum Scaligero *προσέχῃς*, ut *ποιῇς* versu praecedente. Pag. 111. [K. v. 1026. — Br. v. 1030.] In Antistropha, v. 7.

τῶν προτέρων | πρὸς οὖν τάδ' ὦ | κόμψο

non respondet compari suo [K. v. 952. — Br. v. 955.]

Νῦν γὰρ ἅπας | ἐνθάδε κἰν | δύνος.

Ergo repono,

Τῶν προτέρων | πρὸς δὲ τάδ' ὦ | κόμψο.

Ibidem [K. v. 1031. — Br. v. 1035.] sic editum est,

εἴπερ τὸν ἄνδρ' ὑπερβαλεῖ, καὶ μὴ γέλωτ' ὀφλήσας

ubi patet ex *ὑπερβαλεῖ* legendum esse *ὀφλήσεις.* versu autem sequente

Καὶ μὲν πάλ' ἔγωγ' ἐπνιγόμην τὰ σπλάγχνα, κἀπεθύμουν.

duplex est erratum, nam et Anapaestus est loco Iambi,
449 et praeterea *πάλ'* non est *πάλαι* *jamdiu*, sed *πάλι* *rursum*: Lege igitur,

Καὶ μὴν πάλαι γ' ἐπνιγόμην, vel propius adhuc, *Καὶ μὴν πάλαι 'γὼ 'πνιγόμην.* Iterum ibidem, [K. v. 1043. — Br. v. 1047.] *Ἐπίσχες εὐθὺς γάρ σε μέσον ἔχω λαβὼν ἄφυκτον.* Suidas in *Εὐθὺς* inverso ordine, *εὐθὺς γάρ σ' ἔχω μέσον λαβὼν ἄφυκτον.* Numerosior est Suidae lectio, et memini ex Ranis p. 140. [K. v. 472. — Br. v. 469.] — *νῦν ἔχῃ μέσους.*

Pag. 113. [K. v. 1071. — Br. v. 1075.] *εἶεν πάρειμ' ἐντεῦθεν ἐς τὰς τῆς φύσεως ἀνάγκας.* Dactylus male habetur pro Trochaeo. Scribe igitur *τὰς τῆς φύσεος ἀνάγκας*, ut in Pluto p. 49. [v. 1045.]

Τάλαιν' ἐγὼ, τῆς ὕβρεος ἧς ὑβρίζομαι.

Versu autem proximo Ἥμαρτες, ἠράσθης, ἐμοίχευσάς τι; κατελήφθης. ubi ut scabram et stolide interruptam orationem praeteream, ipsum metrum non constat? lege sine dubio, Ἥμαρτες, ἠράσθης, ἐμοίχευσάς τι, κᾆτ᾽ ἐλήφθης;

Mox ibidem [K. v. 1079. — Br. v. 1083.]

Τί δ᾽ ἢν ῥαφανιδωθῇ γε πειθόμενός σοι, τέφρᾳ τε τιλθῇ.

Ad quem versum sic tu narras, Aut, ais, lege πιθόμενος; *aut* ῥαφανιδωθῇ πειθόμενός, *omisso* γε, *ut habet* MS. *Vaticanus.* Atqui neutro modo versus concinnabitur; et sic utique excudendus erit.

Τί δ᾽ ἢν ῥαφανιδωθῇ πιθόμενός σοι, τέφρᾳ τε τιλθῇ.

Ibidem [K. v. 1094. — Br. v. 1098.] sic hodie disponuntur versiculi

Πολὺ πλείονας, νὴ τοὺς θεοὺς
Τοὺς εὐρυπρώκτους
Καὶ τουτονὶ γοῦν οἶδ᾽ ἐγὼ κἀκεινονὶ,
Καὶ τὸν κομήτην τουτονί.

Tu sic digere, ut omnes similes sint,

Πολὺ πλείονας, νὴ τοὺς θεοὺς | Τοὺς εὐρυπρώκτους τουτονὶ
Γοῦν οἶδ᾽ ἐγὼ, κἀκεινονὶ, | Καὶ τὸν κομήτην τουτονί.

Pag. 114. [K. v. 1110. — Br. v. 1112.] adde γε.

Ὠχρὸν μὲν οὖν οἶμαί γε, καὶ κακοδαίμονα.

et versu sequente

1. *Χώρει νυν, οἴομαι δὲ*
2. *Σοὶ ταῦτα μεταμελήσειν*

ut sit νυν breve encliticum; non νῦν *nunc.* Et sic 450
Aldus dedit: versus isti bini sunt inter se similes. Pag. vero 115. [v. 1146.] quid de illo fiet,

χρὴ γὰρ ἐπιθαυμάζειν τι τὸν διδάσκαλον.

Neque enim vel Suidae vel Eustathio fidem habere possum, qui ἐπιθαυμάζειν exponunt μισθοῖς τιμᾶν. Haec interpretatio ex vi *sententiae* enata est, non quod apud quemquam alium ἐπιθαυμάζειν eo sensu positum invenerint. Equidem non video quibus fidiculis ex vi *verbi* extorquere hoc possint. Quae apud σχολιαστὴν hic habes, Florentinis debentur: Aldus ea non agnoscit. Mihi hic aquam haerere fateor. Si ut in nova Comoedia fit, Strepsiades ad Spectatores conversus haec diceret, Socrate non audiente; tum suspicarer auctorem dedisse

χρὴ γὰρ πιθηκίζειν τι τὸν διδάσκαλον

vel χρὴ γὰρ ὑποθωπεύειν τι τὸν διδάσκαλον.

Scis enim πιθηκίζειν et ὑποθωπεύειν Aristophanis verba esse pro *munusculo delinire*. Sed non memini hanc artis δεινότητα in vetere comoedia obtinuisse. An legendum ut Socrates audiverit, ἐπιψωμίζειν *dare quod comedat?* Farinae enim sacculum tum Socrati donat. Non est otium ut fugitivum illud quodcunque est diutius nunc investigem: aut tu, aut ipse fortassis posthac inveniam. Pag. 116. [v. 1155.] Αὐτοὶ καὶ τἀρχεῖα καὶ τόκοι τόκων. Edendum erit τἀρχαῖα. Etsi enim Suidas in τῷ κλάετε habet τἀρχεῖα, at alibi in sua serie (quod multo majus est) Ἀρχαῖα agnoscit. Idem in versu sequente ἐργάσαισθε praefert, non ἐργάσησθε, parvi interest. Eadem pagina [K. v. 1176. — Br. v. 1174.] sic nunc habetur

— καὶ δοκεῖν

Ἀδικοῦντ' ἀδικεῖσθαι, καὶ κακουργοῦντ' οἶδ' ὅτι.

At aut nihil video, aut ipsa nive frigidius est illud κακουργοῦντ' οἶδ' ὅτι. Quid enim sententiae confert? ubi antitheton? non crescit sententia, sed languet et labascit. Vix mihi tempero, quin sic ab auctore datum pronuntiem. — καὶ δοκεῖν Ἀδικοῦντ' ἀδικεῖσθαι, καὶ κακουργοῦντ' εὐποιεῖν. Certe aut ita

scripsit Aristophanes, aut dormitavit: etsi et Suidas in verbo *Τί λέγεις* illud *οἶδ᾽ ὅτι* jam olim agnoverit. Pag. 117. [K. v. 1194. — Br. v. 1192.] Sic legitur,

Ἵνα δὴ τί τὴν ἔνην προσέθηκεν· Ἵν᾽ ὦ μέλε.

Numerosius repone *προσέθηχ᾽*. Pag. 117. [K. v. 1205. — Br. v. 1203.] *ἀμφορεῖς νενασμένοι*. Quaeris an sic scribendum sit, an ut Suidas bis et MSS. 451
Vat. *νενησμένοι*. Equidem priorem lectionem haud libenter admiserim: neque enim *νενασμένος* est *plenus*, ut vas plenum dicitur, sed *pressus, onustus*. Et quid hoc ad amphoram? Quod si maxime *νενασμένος* esset *πεπληρωμένος*, tamen abhorret a sententia loci. Amphora enim tum cum *plena* est, utilissima est; neque inde metaphoram trahi commode potest ad contumeliam designandam. At contra ubi semel inanes sunt vel fractae, tum demum inter rejectanea, et concumulantur in loco quodam abdito; et vel integrae mucescunt et putescunt. Placet igitur *τὸ νενησμένοι*, vel potius ut Suidas, Xenophon et Hesychius, *νενημένοι*. Pag. 118. [K. v. 1218. — Br. v. 1216.] *Ἀπερυθριάσαι μᾶλλον, ἢ σχεῖν πράγματα*. Pro quibus Suidas in *Ἄπερ*: sic videtur legisse, — *ἀλλὰ κρεῖττον ἦν εὐθὺς τότε Ἀπερυθριάσ᾽, ἢ χρήσαντά με σχεῖν πράγματα*. Sed non sequor. Sequente vero versu, quid opus est dactylo isto *οὕνεκα*, quamvis et Suidas habet in *Κλητεύειν*; certe expeditior incedit versus, si legis, *Ὅτε τῶν ἐμαυτοῦ γ᾽ ἕνεκα νυνὶ χρημάτων*. Ibidem [K. v. 1234. — Br. v. 1232.] cave tibi a turpi errato Genevensium, ex Basileensi traducto

Καὶ ταῦτ᾽ ἐθελήσεις ἀπομόσαιμι τοὺς θεούς·

recte enim Aldus *ἀπομόσαι μοι*. Pag. 119. [K. v. 1243. — Br. v. 1241.] vere a viris doctis personae collocatae sunt, *ΔΑ. Καὶ Ζεὺς γελοῖος ὀμνύμενος; ΣΤ. τοῖς εἰδόσιν*, nisi quod adhuc restat erratum, ut opinor. Sic enim lego

Καὶ Ζεὺς γελοῖος ὀμνυμένοις; τοῖς εἰδόσιν.

Ibidem [K. v. 1248. — Br. v. 1246.] ridicule legitur *Τί σοι δοκεῖ δράσειν; Ἀποδώσειν σοι δοκεῖ:* tu excude *ἀποδώσειν μοι δοκεῖ*; hoc est, *δοκεῖ μοι*; non, *ἀποδώσειν σοι*, Nisi forte, quia et *σχολ.* agnoscit *σοι*, jocum hic captaverit ille Testis, quasi dixerit, *tibi* quidem videtur redditurus, mihi nihil minus. Sic *Βατράχοις* p. 134. [v. 104.]

Ἦ μὴν κόβαλά γ' ἐστὶν ὡς καὶ σοὶ δοκεῖ.

Ibidem [K. v. 1254. — Br. v. 1252.] *Οὐκ ἄρ' ἀποδώσεις*; at Suidas etiam in sua serie v. *οὐκ ἂν* etc. sic exhibet, *Οὐκ ἂν ἀποδοίης; οὐχ ὅσον γέ μ' εἰδέναι.* Repetere verba est hominis irati. Pag. 121. [K. v. 1299. — Br. v. 1296.] non intelligo illud,

Οὐκ ἀποδιώξεις σαυτὸν ἐκ τῆς οἰκίας.

Quomodo enim ipse se *ἀποδιώκοι*? duo sint necesse est. Ego vix dubito sic scripsisse Aristophanem: *Οὐκ ἀπολιβάξεις αὐτόθ' ἐκ τῆς οἰκίας*; ut in Avi-
452 bus p. 423. [v. 1467.] *Οὐκ ἀπολιβάξεις ὦ κάκιστ' ἀπολούμενος*; Scis quid Suidas, Hesychius, alii de hoc verbo commententur. Pag. eadem, [K. v. 1302. — Br. v. 1299.] de *ἄξεις ἐπιαλῶ* nescio quid dicam, praeterquam et tuam et varias Scholiastae cum lectiones tum interpretationes sine dubio falsas esse. Mihi autem nihil nunc succurrit. Latet, opinor, phrasis aliqua ad aurigationem pertinens; quam tu investiga. Nisi fortassis hoc arrideat — *αἴξεις; ἐπαλιῶ κεντῶν ὑπὸ τὸν πρωκτόν σε τὸν σειραφόρον*, hoc est an *excurres?* ego te in hippodromum adigam etc. *ἀλίσαι* et *ἐξαλίσαι* vide in *σχολ.* et Polluce. Pag. 122. [K. v. 1317. — Br. v. 1314.] *Γνώμας τ' ἐναντίας λέγειν*, dele *τ'* cum Scaligero; ordo est, *δεινὸν λέγειν γνώμας* etc. Pag. eadem [K. v. 1306. — Br. v. 1304.] Stropha respondet Antistrophae p. 124. [K. v. 1393. — Br. v. 1391.] et numeris notandi erunt versus. Sed illud [K. v. 1353. Br. v. 1350.]

λῆμ᾽ ἐστι τἀνθρώπου

non convenit cum pari suo [K. v. 1398. Br. v. 1396.]

Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐρεβίνθου.

Ergo repone sine dubio,

Λῆμ᾽ ἐστι τὸ τἀνδρός, i. e. λῆμα τὸ τοῦ ἀνδρός.

Pag. 123. [K. v. 1362. — Br. v. 1359.] illud vitiose editum est *Οὐ γάρ τότ᾽ εὐθὺς χρῆν σε γ᾽ ἄρα τύπτεσθαι καὶ κατεῖσθαι*. Spondaeus enim locum Trochaei invasit; nisi forte quis cum Gronovio et Iensio stolide contenderit diphthongos *αι* et *οι* etiam ante consonantem corripi posse. Sed tu melius sapis; lege igitur verbis inversis *Οὐ γάρ τότ᾽ εὐθὺς χρῆν σε τύπτεσθαί γε καὶ κατεῖσθαι*; vel *τύπτεσθαί τε*. Scaliger correxerat *τύπτε καὶ κατεῖσθαι*. qualis audacia!

Ibidem [K. v. 1370. — Br. v. 1367.] *ψόφου πλέων, ἀσύστατον*: Lege *ἀττικῶς, ἀξύστατον*: et sic Suidas in sua serie.

Pag. 124. [K. v. 1378. — Br. v. 1375.] recte judicas, auctoribus Suida et MSS. tuis, *ἠρειδόμεσθ᾽* edendum esse, non *ἐριζόμεσθ᾽*. Illud enim et figuratius est, et alias Aristophani usitatum. Quod autem ex iisdem producis ad hiatum supplendum, [K. v. 1399. — Br. v. 1397.]

Σὸν ἔργον, ὦ καινῶν ἐπῶν κινητὰ καὶ μοχλευτά,

in eo correctorum agnosco ingenium, non veterum exemplarium fidem: unde et haud temere colligo codices tuos non diu ante Typographiae initia conscriptos esse. Quid enim *ἐπῶν*? versum quidem sustentat, sententiam vero labefactat. *ἔπη* enim hic *carmina* significarent, quod a mente auctoris prorsus alienum. 453
Quare probo, atque adeo fidenter assero veterem meam conjecturam, qua sic olim versum suppleveram,

Σὸν ἔργον, ὦ καινῶν λόγων κινητὰ καὶ μοχλευτά.

Dogmata intelligit sive *rationes*; non utique *versiculos*. Ita p. 81. [v. 357.] θηρατὰ λόγων φιλομούσων: et quoties alibi in hoc ipso dramate! Ibidem [K. v. 1403. — Br. v. 1401.] nunc legimus

Ἐγὼ γάρ, ὅτε μὲν ἱππικῇ μόνῃ τὸν νοῦν προσεῖχον,

ubi spondaeus locum Iambi occupat: verte igitur verba, cum ob versum, tum ob constructionis elegantiam,

Ἐγὼ γάρ ὅτε μὲν ἱππικῇ τὸν νοῦν μόνῃ προσεῖχον.

Pag. eadem [K. v. 1414. — Br. v. 1412.]

Τύπτειν τ᾽ ἐπειδήπερ τοῦτ᾽ ἐστ᾽ εὐνοεῖν τὸ τύπτειν

quod manifeste vitiosum, syllaba enim deficit. Aut lege *ἐπειδήπερ γε τοῦτ᾽ ἐστ᾽* aut *ἐπειδήπερ τόδ᾽ ἐστίν*; mirabor si codices tui MSS. in vulgata lectione consenserint, et tamen tu siles. Ibidem [K. v. 1417. — Br. v. 1415.]

Κλάουσι παῖδες πατέρα δ᾽ οὐ κλάειν δοκεῖς; ΣΤ. τιή δή;

Et hic vix crediderim postrema illa *τιή δή* in MSS. tuis comparere. Nam a Florentinis sunt; neque Aldus neque Scholiastes agnoscit, qui contra, non Trochaicum ut caeteros, sed Trimetrum Iambicum esse versum hunc diserte narrat. Lege ergo, Personarum signis sublatis,

Κλάουσι παῖδες, πατέρα δ᾽ οὐ κλάειν δοκεῖς;
φήσεις νομίζεσθαι, etc.

Porro Iambum inter Trochaeos poscit, quod notissimi apud Euripidem versus parodia esset

χαίρεις ὁρῶν φῶς, πατέρα δ᾽ οὐ χαίρειν δοκεῖς;

Pag. 125. [K. v. 1420. — Br. v. 1418.] Εἰκὸς δὲ *μάλιστα* τοὺς γέροντας ἢ *τοὺς* νεούς τι κλάειν: miror hunc quoque tibi intactum esse, et versu bis

claudicante, et dictione soloecissante; lege ut utrique vitio medicina fiat,

Εἰκὸς δὲ μᾶλλον τοὺς γέροντας ἢ νέους τι κλάειν.

Iterum ibidem, [K. v. 1430. — Br. v. 1428.] *Ὡς τοὺς πατέρας ἀμύνεται, καίτοι διαφέρουσ' οὐδέν.* Hic Anapaestus est in loco penultimo pro tribracho vel trochaeo, quos solos admittit metri lex. Lege igitur

— καίτοι διέφερον οὐδὲν
Ἡμῶν ἐκεῖνοι —

Agnoscis, opinor, praeter metri concinnitatem, 454 etiam elegantiam dictionis. Praeterita hujusmodi habere solent vim praesentis et quasi perpetui quidem temporis. Pleni sunt exemplorum et Graeci et Latini; sed et etiam πεζογράφοι. Eadem pagina, [K. v. 1444. — Br. v. 1442.] sic habent editiones:

Πῶς δή; δίδαξον γάρ τί δή μ' ἐκ τούτων ἐπωφελήσεις.

Versus mendi est manifestus; quem tu ex MSto Vaticano sic is emendatum, *ἐκ τούτων ὠφελήσεις.* Interim non animadvertis etiam tuum illum esse mendosum; spondaeus quippe locum Trochaei occupat. Unde iterum deprendo codicem illum recentiorem esse, neque ullius fere auctoritatis: Tu sic verbis inversis locum constitues,

Πῶς δή; δίδαξον γάρ τί δή 'κ τούτων μ' ἐπωφελήσεις·

vel, quae sola vera lectio est, — *δίδαξον γάρ τί δή μ' ἐκ τῶνδ' ἐπωφελήσεις*, et sic excudi versiculus debet. Mox [K. v. 1446. — Br. v. 1444.] versus duos male disjunctos et mendosos quoque, ad unum redigo hoc modo;

Τοῦθ' ἕτερον αὖ μεῖζον κακόν. ΦΕΙ. τί δ' ἢν ἔχων τὸν ἥττω

Λόγον σε νικήσω λέγων
τὴν μητέρ' ὡς τύπτειν χρεών.

Pag. 126. [K. v. 1458. — Br. v. 1456.] Legitur τί δῆτα ταῦτά γ' οὔ μοι τότ' ἠγορεύετε. ubi emendandum, ταῦτ' οὐ, et mox [K. v. 1462. — Br. v. 1460.] habetur, Ἕως αὐτὸν ἐμβάλωμεν ἐς κακόν, deficiente syllaba. Scaliger sic supplevit, Ἕως περ αὐτόν: sed vera lectio est, Ἕως ἂν αὐτόν; quod elisum est ob similitudinem syllabae sequentis αν αυ. Ibidem [K. v. 1474. — Br. v. 1472.] insignis et elegans sententia plane obfuscata est a mendosa lectione.

Οὐκ ἐξελήλακ'. ἀλλ' ἐγὼ τότ' ᾠόμην
Δία τουτονὶ τὸν Δῖνον, οἴμοι δείλαιος,
Ὅτε καί σε χυτρεοῦν ὄντα θεὸν ἡγησάμην.

Nihil potuit amarius salsiusve dici; non, inquit, ejecit: sed ego stultus tum credebam Dinum hunc esse Iovem, cum te, hominem luteum, Deum esse existimabam. In utroque deceptus sum miser; Dinus non magis est Iupiter, quam tu Deus. Nosti illud Syri Terentiani, de Ctesiphonte Adolescente et Demea patre; Laudarier te audit libenter: *facio te apud illum Deum.* Hanc tu emendationem, quo es judicio, de tripode esse reputabis: nam praeterea vide concinnitatem, τό-
455 τε ᾠόμην, ὅτε καί σε: at in vulgata lectione nihil est venustatis. In fine Dramatis recte edetur, ut mones, et ego quoque olim [K. v. 1508. — Br. v. 1506.] Τί γὰρ μαθόνθ' ὑβρίζετόν γ' εἰς τοὺς θεούς: quinetiam ordo versuum recte permutabitur: at lectio illa codicis Vaticani a mala manu est, et ab audacissimo interpolatore.

Tria, opinor, restant ex tuis Quaesitis, quae, ne intacta praeteream, sic habe:

φασιανοὺς [v. 109.] Leogorae recte *aves* interpretaris; non *equos*, quod Grammaticorum veterum commentum erat. Illud vero in scholiis p. 72. [ad v. 238.] φθά-

σαντι δὲ αὐτῷ λέλεκται ἐν Εἰρήνῃ, equidem nihil certi habeo; et una tecum ampliandum esse censeo: nisi forte quod jam nunc mihi succurrit tu aliquid esse censueris. Poteris enim sic, φράσις δὲ αὐτὴ λέλεκται ἐν Εἰρήνῃ· hoc est, *Eadem phrasis habetur in fabula Pace.* Ut enim hic est Ἦλθες δὲ κατὰ τί; ita illic p. 440. [v. 191.] Ἥκεις δὲ κατὰ τί. Denique quod p. 74. [ad v. 263.] in Scholiis habetur, Μερικοῖς φιλοσόφων λόγοις ἀέρα βούλεται εἶναι τὸ πᾶν, sententia, ut puto, mihi compertum est; verbum tamen quod hic latet, nunc quidem expiscari nequeo: Sensus certe hic est, perinde ac si dixisset, ἑπομένως τοῖς φιλοσόφων λόγοις ἀέρα etc. *Secundum* Philosophorum dogmata dicit esse Omne. Non enim, credo, in μερικοῖς subolfacies τὸ Ἐρετρικοῖς, quae secta philosophorum erat a Menedemo nomen nacta. Atque haec hactenus.

Omiseram quid pag. 105. [K. v. 867. — Br. v. 869.] quod hic extra ordinem ponam,

Καὶ τῶν κρεμαθρῶν οὐ τρίβων τῶν ἐνθάδε.

Atqui p. 71. [v. 218.] corripitur ea vox, οὑπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ; atque ita pleraque ejus generis omnia apud Nostrum. Ergo aut hic κρεμαστρῶν conjiciebam, aut alias, καὶ τῶν κρεμαθρῶν οὔπω τρίβων τῶν ἐνθάδε. Sed quia Suidas in Νηπύτιος vulgatam lectionem agnoscit, et secunda τοῦ κρέμαθρα (apud Epicos saltem) ambigua est, ideo tunc tacui. Nunc autem ubi Pollucem in manus cepissem, video eum lib. X° κρέμαστραν citare ex Aristoph. *Nubibus*; ut quin ita hic legendum sit, nihil est quod nunc dubitem.

Et nunc tandem manum de tabula. Unum duntaxat monendum adhuc restat; curandum nempe, ut in textu τὸ ν finale semper apponatur ubi syllaba longa est; quod in editis plerumque abesse solet, et crucem figit studiosis, qui metra Comica scire cupiunt: ut p. 63. [v. 74.]

ἀλλ' ἵππερόν μου κατέχεε τῶν χρημάτων.

456 edatur *κατέχεεν*; atque ita in aliis plus sexcentis. Hoc si omittis, et praeterea, si quae extra omne dubium sunt posita in textu exhibere negligis, ad notas tandem detrusa (quod a superstitiosis quibusdam et ignavis fieri amat) nihil profecto agis, sed operam oleumque perdis. Denique hoc oro te atque obsecro (quod antea facere memini) ut si quae ex nostris tibi usui fuerint, ea in notis exhibeas, non meis verbis, nomine ad finem posito ut fit in notis variorum; sed tuis, narrationis *σχήματι*, *sic emendat Bentleius* etc.; et quoties castigationum rationes adjicis, non meis verbis quae hic *αὐτοσχεδιάζω*, utaris; sed memor Epicharmi, *Εἷμα δῶς καὶ πορφύραν, λόγοισι ποικίλλων σοφοῖς*. Vale charissimum caput, et scito quae postremum mihi mandabas, curae mihi fore.

Brookbankius et Sikius te salutant. Saluta meo nomine Hemsterhusium. Coll. Trin. Cantabrigiae. Augusti 21 stilo vetere 1708.

*) His scriptis, forte in manum cepi Palmerii Notas, ubi p. 103. [K. v. 828. — Br. v. 830.] Nubibus *Σωκράτης ὁ Μήλιος καὶ Χαιρεφῶν*, sic distinguit, *Σωκράτης, ὁ Μήλιος*, etc. ut tres hic notentur, Socrates, Diagoras, Chaerephon. Perperam haec vir optimus. Primo vis quaedam fit orationi, et ambiguum erit *ἀθεράπευτον*. Deinde Stephanus Byzantius in *Μῆλος* diserte affirmat Socratem hic *Μήλιον* dici. Denique, Diagoras jam ad plures abierat, neque Socrati notus esse potuit. Postremo sensus in recepta distinctione facillimus est, *Σωκράτης ὁ Μήλιος*, id est, alter Diagoras, alter Atheus.

*) (Quae sequuntur, ipsa Bentleii manu adjecta sunt.)

B.

RICHARDI BENTLEII EPISTOLA

AD GODOFR. RICHTERUM *).

DEPROMTA EX FR. A. WOLFII ANALECT. LITTER. T. I. P. I. p. 90—95.

Litteras a te nudius tertius accepi longe gratissimas, in quibus ultro operam tuam polliceris in describendis veterrimi exemplaris Maniliani variis lectionibus. Hanc tuam erga me et meliores litteras tam promtam ac prolixam voluntatem, stultus sim, si repudiem; inhumanus, si non gratissime agnoscam. Liceat igitur posthinc in amicorum meorum numero te quoque recen-

*) Subjunximus hic epistolam *Bentleii*, de qua supra p. 64. in nota monebamus, quum rarior *Richteri* libellus nuper opportune nobiscum communicatus esset ab amico quodam litterariae rei peritissimo. Insignem *Manilii* codicem *Lipsiensem* in bibl. Paullina ad Aristarchi Cantabrigiensis usum prior conferre coeperat a. 1693. *Ioa. Fr. Fellerus;* huic *Fellero* in eadem opera successit juvenis ille, codicis varietates accuratius excerptas pollicitus. Responsum, a *Bentleio* acceptum, is mox typis evulgavit p. 39 libri, qui ita inscribitur: *Gotefridi Richteri, Bernbacensis Specimen observationum criticarum in varios auctores Gr. et Lat. Praefationem praemisit Io. Francisc. Buddeus.* Ienae MDCCXIII. 8. Ceterum haec epistola, quamvis paullo negligentius scripta, haud ingrata legentibus erit vel propter monitorum utilitatem, vel quia pro auctario *Burneianae* epistolarum συναγωγῆς esse potest. Wolf.

sere, et amicitiae recentis tesseram Manilianas lectiones a te exspectare. Scias autem, me ab aliquot annis semel atque iterum ex eodem vestro Codice nactum esse excerpta quaedam, sed mutila et imperfecta, quod ex aliis Codicibus paris ferme cum vestro aetatis certo mihi compertum. Quattuor tantum, quod sciam, in tota Europa nunc exstant exemplaria, quae annorum DC aetatem prae se ferunt: Gemblacense scilicet, unde olim Ios. Scaliger posteriorem suam editionem adornavit; Venetum in bibliotheca S. Marci; Vossianum in Academia Leidensi et vestrum illud Lipsiense. Cetera omnia, quorum non pauca penes me habui, sunt notae recentioris et ab exscriptoribus passim interpolata. Gemblacense autem illud, quod omnium optimum et veterrimum est, ipse oculis meis diligentissime olim perlustravi, minutissimas quasque variationes scrupulose notavi. Ceterorum collationes, quae Gemblacensi in plerisque omnibus adstipulantur, amicorum opera comparavi: unde facile erat deprehendere, juvenes illos, qui Lipsiensis libri excerpta mihi subministrabant, vix decimam lectionum partem attigisse. Quamobrem, si operam et mihi et auctori ipsi utilem navare vis, oro te atque obtestor, ut minima quaeque observare et in Boeclerianae editionis margine notare ne dedignere; quanto mendosiora et absurdiora tibi videantur, tanto fidelius et diligentius. Quippe ex illis contaminatissimis, quae alius forte spreverit et velut indigna notatu praeterierit, ego haud raro pulcerrimas emendationes eruo et extundo. Ceterum, quum Maniliani codices prae illis reliquorum poetarum sint portentose et paene supra fidem mendosi, in magnam utique molem exsurgerent tua excerpta, si ex ora tui codicis in chartam puram transcriberes, mihi quoque non necessarium et ideo ingratum laborem injungerent singula rursus in mei codicis marginem inserendi. Patere ergo, ut illud abs te impetrem, ut ipsum codicem tuum Boeclerianae

editionis ad me huc transmittas, ubi semel omnes variantes lectiones in ejus margine descripseris: quod tuum insigne beneficium duobus novae editionis exemplaribus pensabo. Illud quoque et heic et in aliis (si quando olim in MStis conferendis operam tuam collocabis) te admonuisse non erit inutile; multa scil. in vetustis MStis sub tempore renascentium litterarum jam ab annis circiter trecentis interpolata fuisse, et novas lectiones intrudi solitas, prioribus erasis. Eas, si quae in vestro codice fuerint, ut sine dubio sunt, facile erit tibi dignoscere vel a colore atramenti, vel a ductu litterarum, vel a vestigiis rasurae, quae nunquam evanescit. Illud igitur diligenter curabis, ut singula loca indices, quae a manu secunda et interpolatrice sint mutata; et, si fieri poterit, deprehendas, quid olim a prima manu scriptum fuerit, sub rasura illa nunc latitans. Porro, ne integra verba describendo totum marginem editionis tuae oppleas, satius fuerit, litteras tantum lineola subducta notare, et in margine variantes reponere hunc in modum. Pag. postrema tuae editionis, versu undecimo,

sua lumina } unt e sublimia	*Cumque vaga est illa* et *terris* sua lumina *condit*

Et versu ibid. 15.

m	*Tunc conferta licet coeli fulgentia templa*
lu - deest - um	*Cernere seminibus* densis *totisque micare*
Ms. 1. 2. vant	2. *Floribus* aut *siccae curvum per littus arenae*,
deest dum ma	1. Nec *spatium stellis*, *mundo nec cedere summam*.

Has enim crediderim variationes codicem vestrum exhibere, ut ex aliis codicibus licet conjicere. Quis vero non portenta haec dixerit? Scaliger certe, qui

omnia illa in codice Gemblacensi viderat, nihil illinc expiscari potuit. Ex his tamen vestigiis sic veram tibi lectionem restituo:

Cumque vagas stellas tenebris sua lumina condunt.

Et

Tum conferta licet coeli fulgentia templa
Cernere luminibus densis totumque micare
1. *Stipatum stellis mundum, nec cedere summa*
2. *Floribus aut siccae curvum per littus arenae.*

Atque ex hoc specimine tu conjicito, quantum emendationum in toto libro proferre possim. In illa utique pagella plus triginta dabo: ut, praefiscine dixerim, si quando otium nactus editionem meam procurare possum, jam tum primum in lucem prodire poeta ille jure videri possit.

Quod ad quaestiones tuas adtinet, sic meam sententiam paucis habeto. In Aeliani loco (V. H. II. 32.) Ἀλκαῖον potius legerim, quam Ἀλκείδην. Quum enim non, ut alias, judicio et ratione, sed sola auctoritate dirimenda sit haec controversia, stultum fuerit, pluribus et vetustioribus testibus fidem demere, paucioribus et recentioribus habere. Quaeris insuper de notatione nominum Sileni et Satyri. Sine dubio vidisti, quid ὁ πάνυ Bochartus, qui omnium felicissime has origines rimatus est, de his verbis prodiderit in suo Phaleg, ubi prius a שילה deducit, posterius a שעיר, ingeniosius tamen, ni fallor, quam verius; ut pleraque omnia, quae in illo admirandae eruditionis opere exsequitur, exceptis, quae manifeste et toto colore suam produnt originem. Certe, si in ulla eruditionis parte, in hac praecipue τῶν ἐτυμολογιῶν opus est solido et subacto judicio: quo qui destituuntur, turpissime se dare solent et deridendos propinare. Ea enim est indoles linguarum Orientalium, ut si (pro more hominum, qui in ea re hodie lauream quaerunt) vocalium nulla ratio habea-

tur, consonantium autem permutatio tam patienter admittatur, quidvis ex quovis poterit deduci, et tota verborum graecorum supellex ex Oriente deportari. Superiore saeculo Goropius Becanus, vir alioqui doctus et ingenio non vulgari, omnia linguae Ebraeae vocabula ex Brabanticis deducere adgressus est: vix magis insanus, quam qui hodie omnia nostra ex Ebraeis petere conantur, febriculosis conjecturis et inanibus suspicionibus freti. Hanc tu ut ingeniorum pestem fugias, auctor tibi ero. Nullus enim solidae doctrinae fructus, nulla apud cordatos homines gloria provenire hinc poterit. Nunquam igitur tibi dixero, unde Sileni aut Satyri adpellati sint: at, quod longe melius est, id tibi in aurem instillavero, ut in his senticetis ruspandis nolis ingenium tuum et bonas horas conterere. Vale et fac primum me certiorem, ecquid de lectionibus Manilianis a te debeam exspectare *).

*) Temporis notam non habet epistola, ne anni quidem. Facile est annum supplere MDCCIX. ex Praef. ad Manilium p. XIV. Wolf.

C.

GODOFR. HERMANNI
DISSERTATIO
DE
RICHARDO BENTLEIO
EIUSQUE EDITIONE TERENTII.

Lips. a. 1819. p. I—XXIV. 4to.

3 R. Bentleium quantopere admirer, Candidati humanissimi, quum in scriptis meis saepe declaravi, tum ii sciunt omnes, qui vel scholis meis vel familiari consuetudine usi sunt: habeoque eam admirationem quasi hereditariam a praeceptore meo, Frider. Volg. Reizio, qui numquam nominabat Bentleium, nisi cum aliqua reverentiae significatione, tantumque ei tribuebat, ut eum discipulis suis tamquam perfectissimum critici exemplum proponeret. Quod viri eximii judicium quum mihi verissimum esse videatur, facio ego quidem idem, ut adolescentibus, qui antiquitatis studia consectantur, Bentleium prae caeteris ducem commendem, verumtamen ita id facere consuevi, ut simul eos moneam, ne, si viam inveniendi veri rectam ab eo sibi monstrari videant, continuo etiam, quae invenerit ille hac via, vera esse credant, sed potius, conservata libertate judicandi, eadem via, an ille aberraverit a vero, perspicere studeant. De qua re operae pretium putavi paucis exponere, praesertim quum videam Frider. Aug. Wolfium, qui in Analectis litterariis vol. I. egregie de Bentleio disseruit, illud, quod in primis a tali

viro exspectabatur, non fecisse, ut quid laudandum in Bentleio atque imitandum, quid autem reprehendendum et vitandum esset, ostenderet. Et quamvis putem caussas illum quasdam habuisse, quare haec non attingeret, tamen quod p. 54. de Terentii editione judicium posuit, ejusmodi est, ut tanto magis, quid mihi videatur, dicendum ducam, quo major hujus viri apud omnes auctoritas est. Ait autem etiam in hujus scriptoris editione Bentleium aliquot audaces et temerarias conjecturas more illo parum sane laudando in textum intulisse, sed tamen, qui posthac ad Terentii emendationem accessuri sint, multo pauciora inventuros esse, quae rejicere debeant, quam in ullo alio, quem ille ediderit, scriptore. Ducem et auctorem hujus sententiae, ut opinor, habuit vir summus Reizium, quem saepe memini dicere, multo aequius viros doctos de Terentio Bentleii judicaturos esse, si ille, quas fecit adnotationes ad eum scriptorem, eadem cura ac diligentia, qua ad Horatium, perscripsisset. Ego quidem aliter sentio, et, licet numquam non dicturus sim, quod semper professus sum, unicum Terentii sospitatorem esse Bentleium, tamen vix paucas in toto eo libro paginas esse arbitror, in quibus non inveniatur, quod aut non satis recte, aut minus considerate dictum sit. Quae tamen res etiam augere debet admirationem viri, qui quamvis in tanta errorum copia immortale ac plane divinum opus condiderit. Sed priusquam exemplis, quae dixi, comprobem, paucis de ingenio viri dicendum est, ut appareat, quomodo summae ejus virtutes saepe non potuerint non in vitium vertere.

Erat Bentleius vir infinitae doctrinae, acutissimi sensus, acerrimi judicii. Et his tribus rebus omnis laus et virtus continetur critici. Ex quibus scientia antiquitatis idonea ordine primum tenet locum, ut quae et sensum nutriat atque excolat, et judicio materiam praebeat judicandi. Ad eam sensus accedat necesse

est, qui positus est in naturali quadam facultate statim animadvertendi, quid quaque in re verum, aptum, decorum, venustum sit: cui etsi, ut dixi, nutrimenta et cultum praebet antiquitatis pervestigatio, tamen procreare eum, si cui non est a natura datus, non potest. Est autem tam praeclara haec atque eximia facultas, ut sola sit illud, quod ingenii nomine appellare consuevimus. Qua qui praediti sunt, etiam si careant illa, quam statim dicemus, judicii subtilitate, tamen saepe felicissime exercent artem criticam, quatenus ea quidem in conjectandi facilitate consistit: sed si res demonstratione indiget, neque ipsi sibi rationes reddere possunt, neque alios quo ad suam sententiam perdu-
5 cant, habent. Quamobrem tertia accedere debet judicii vis et subtilitas, quae caussis rerum investigandis, explicandisque rationibus, et doctrinae et sensui lumen afferat. Atque hujus demum accessio facit, ut quis vere dignus appellatione critici censeri possit, non secus ac militem neque arma faciunt, nec fortitudo, si disciplina atque exercitatio absit. Est autem haec uti praestantissima in critico virtus, ita eadem etiam periculosissima, non quod quis nimium habere judicii queat, sed quod abuti eo proclive est. Quum enim qui acri judicio sunt, plerumque severiore soleant et fervidiore ingenio praediti esse, facile eo abripiuntur, ut sola judicii vi omnia perfici posse existiment, atque ita modo ea, quae discendo cognosci debent, negligant, modo sensum admonitorem non audiant. Non est autem obscurum, pro rerum, quas quis tractet, diversitate, plus minus eum abuti judicio posse. Sunt enim, quae unice judicio opus habeant: in quibus nullus est abusus judicii. Aliud est enim, perperam judicare, quod potest accidere etiam non abutenti judicio; aliud, abuti judicio, quod facere potest etiam qui recte judicat. Sunt vero etiam, quae moderatorem judicii sensum illum, quem diximus, requirant: in quo genere pro-

prius est judicii abusus, si quis, ubi sensum consuli oportebat, ab judicio auxilium petat. Ex illo genere, quod primum posui, res sunt historicae: in quibus pervestigandis, si materia omnis congesta est, nulla re nisi judicio opus est. Quare has, qui omnia ad judicandi severitatem revocant, recte tractabunt. Idque Bentleium in dissertationibus illis Phalarideis et epistola ad Io. Millium sic fecisse videmus, ut vix ullum perfectius cogitari artis criticae monumentum possit. Ad alterum genus scriptorum veterum interpretatio atque emendatio pertinet. Ea vero inprimis sensu illo indiget, qui ex obscuris est notionibus compositus, quas attenta operis cujusque lectione et contemplatione colligimus. Qui sensus quum ob id ipsum, quod obscuris notionibus continetur, quasi inermis sit, si ad judicii strenuitatem comparetur: facile obmutescat necesse est, si quis, ubi examinare eum potius atque explicare debebat, statim rem ad rationis subtilitatem traducat, eo- 6
que disputationem non ad id, ad quod conveniebat, sed ad aliud quid conferat. Idque omnium facillime in poetis fieri potest: quorum quum omnis oratio ad sensum magis, quam ad severas quasdam cogitandi regulas composita sit, non recte interpretabitur eos, qui verba eorum, tamquam si mathematici aut philosophi essent, ad amussim exigat, et non potius quid senserint, quam quid argutando ex singulis verbis elici possit, consideret. Quod si hoc in genere qualem se praebuerit Bentleius dicendum est, nullus est scriptor, quem ille adnotationibus instruxerit, quin innumerabilia exhibeat exempla disputationum, in quibus etsi subtilitatem judicii admirari debeamus, tamen non possimus non abusum ejus reprehendere. Etenim quum ille fervidius omnia atque haud raro etiam cupidius attrectaret, saepenumero elabi sibi passus est ea, quae si animadvertisset, longe aliter fuisset judicaturus. Nam etsi sensu illo, quem diximus, minime carebat

Bentleius, tamen saepe, fervidioris naturae impetu abreptus, dum explicare eum vel negligebat, vel ob rei difficultatem defugiebat, in iis retinebatur, quae ad primum adspectum non satis commode dicta videbantur, eaque tam cupide emendabat, ut suis ipse disputandi artificiis captus, non videret illa, ex quibus nullam esse emendandi necessitatem intelligere potuisset. Ita factum est, ut hic tam eximius vir minime eamdem in poetarum emendatione, quam in explicandis rebus historicis laudem meruerit. Verumtamen ut ille plurimos poetarum locos, si verum fateri volumus, corruperit magis, quam emendaverit, tamen ratio, qua in his disputationibus usus est, tam est egregia, ut nihilominus exemplum haberi debeat, quod imitentur, qui diligenter, accurate, et perspicue de his rebus disceptare volunt. Qui ut et hoc discant, et simul temeritatem, quam in Bentleio multi notarunt, declinare adsuescant, mea sententia illud potissimum operam dare debent, ut has Bentleii disputationes, quibus ille locos sanos vexavit, aut affectos non recte restituit, eadem, qua ipse uti solebat, diligentia ac strenuitate refellant, quaeque neglecta sunt ab eo, ea in luce collocent, ut
7 errasse eum jam dubitari amplius nequeat. Nam illud quidem facillimum est, sensu monente improbare ac rejicere ejus emendationes: idque permulti, immo plerique fecerunt editores Horatii Terentiique, quorum tamen nullus fuit, qui comparari cum Bentleio posset. Hoc vero, refutare eum, uti saepe difficillimum est, ita, si recte et plene fiat, simul et debitam tanto viro reverentiam prodit, et operam scriptoribus illis vere salutarem praestat, et exercitationem affert artis criticae utilissimam.

Sed non est praetereunda una res, in qua Bentleius singulari cum fructu litterarum sensui omnia, judicio prope nihil tribuit. Dico autem rem metricam, in qua luculentissime apparet divinum viri ingenium,

qui non alio duce, quam sensu suo, spretis inanibus magistrorum commentis, nova nullique tentata via ad veritatem perruperit. Nam quum omnis numerorum scientia a sensu originem ducat, naturam eorum autem rationesque explicare difficillimum sit: non est mirum, Bentleium, quae vera esse sentiret, quum ea explicare non posset, audacter ut certa in medium attulisse; quorum explanatione ut supersedere posset, arcanam rationem musices memorabat, bene gnarus, opinor, aliis eam non magis quam sibi ipsi notam esse. Ita evenit, ut, quum judicium ab his rebus procul haberet, solumque sensum sequeretur, non incideret in errores illos, a quibus aliter vereor ut immunis mansisset. Quod si in singulis quibusdam locis aut versibus Terentii ab recta metrorum ratione aberravit, haec non est ejus metricae scientiae quaedam perversitas, sed de verbis ad metra accommodandis pravum judicium.

Itaque ut paucis comprehendam, sic judicabimus de Bentleio, in rebus historicis criticum eum esse perfectissimum; in scriptorum autem veterum, poetarum maxime, emendatione saepissime abusum esse judicio suo, ita tamen, ut etiam ubi errat, in demonstranda defendendaque sententia sua admirabilis sit; denique, ubi eum rei natura ac necessitas quaedam ad solum sensum veri redegerat, nulla judicio abutendi copia relicta, eximium conspici.

Iam vero quod ad ejus editionem Terentii attinet, 8
de qua quod ad rem metricam spectat quid sentirem, non uno loco in his, quae de metris scripsi, significatum est, de ea quod supra dicebam, multo me aliter judicare, quam Fr. A. Wolfium, id ut non sine idoneis rationibus dictum ostendam, non hinc illinc aliquid decerpam, quod quaesitum potius esse, quam ultro se obtulisse videatur, sed prologis utar Andriae et Eunuchi, ut ejusmodi exemplis, in quibus aliquanto difficilius, quam in aliis, quod peccari potuerit, inveniri

quis suspicetur. Et in Andriae quidem prologo, fateor, non nisi duo loci sunt, in quibus eum aberrasse a vero putem: plures in prologo Eunuchi. Erat ei autem praeter solitam illam audaciam alia in Terentio, eaque duplex ad errorem proclivitas, una, quod nimium festinabat hanc editionem, altera, quod, quum Fr. Harium insectaretur, cupidius, quae hujus viderentur negligentiam arguere, exquirebat. Sed accedam ad rem. In prologo Andriae v. 9. edidit:

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
qui utramvis recte norit, ambas noverit.
non ita dissimili sunt argumento, et tamen
dissimili oratione sunt factae ac stilo.

In libris est *sed tamen*, quod quum metro repugnaret, emendandum fuisse, non est dubium. Posuit ergo *et tamen*, quod tribus confirmat argumentis. Eorum ultimum aperte argutius quam verius est. Nam quum Donatus scribat, *sed tamen, ἀνακόλουθον est: non enim supra posuit Quidem*, probat hoc, contenditque, si *sed tamen* scripsisset Terentius, debuisse eum etiam *quidem* ponere; nunc, quum non praecesserit *quidem*, consequens esse, ut *et tamen* sit vera lectio. At haec ratiocinatio falsissima est. Nam si verum est, ad *sed tamen* requiri *quidem*, in quam rem duo exempla affert, nihil aliud concludi potest, quam, ubi *quidem* desit, non potuisse *sed tamen* dici; non etiam, dicendum fuisse *et tamen*. At vero etiam prius illud falsum esse, vel sine
9 exemplis apertum est. Quid autem si ipse Terentius etiam alibi sic loquitur? Ac facit in Adelph. IV. 4, 15.

sensi ilico ad illas suspicari: sed me reprehendi tamen.

Aliud argumentum ab Eugraphio petit, apud quem, quod ipse conjecerat, *et tamen* scriptum sit ad v. 8. Et ita sane edidit Lindenbruchius. Sed editio Westerhoviana, in qua e duobus MSS. editus est Eugraphius,

sed tamen habet: quamquam, quum haec valde negligenter facta sit, non multum ei tribuam. Illud vero apparet, admodum levem esse tam corrupti scriptoris auctoritatem. Itaque tertium denique argumentum videamus, quod depromptum est ex duobus aliis Terentii locis, Andr. I, 1, 32.

horum ille nihil egregie praeter caetera
studebat: et tamen omnia haec mediocriter.

Et IV, 1, 9.

et timent, et tamen res premit denegare.

At quid probant hi loci? Inveniri *et tamen:* nihil amplius. Quin secundus eorum ne debebat quidem commemorari, ut in quo non *et tamen* conjuncta sint, sed duo *et* sibi respondeant. Prior vero locus etiam redarguit emendationem, quam fecit. Demonstrat enim, ubi dici possit *et tamen.* Est autem his voculis non nisi in primaria sententia locus. Atque hoc ibi vult Simo, nihil quidem istorum illum egregie studuisse, sed tamen omnia mediocriter, i. e. quantum satis esset. Atqui in prologo illud *et tamen* in secundaria sententia foret. Neque enim hoc dicit, esse quidem fabulas istas non ita dissimili argumento, sed tamen oratione ac stilo dissimili: ex quo simul apparet, cur *quidem* ibi poni non potuerit: sed hoc vult, etsi oratione ac stilo dissimili sint, tamen argumento non esse ita dissimili. Hinc primo eam, quae primaria sententia est, solam ponit: *non ita dissimili sunt argumento.* Ei recte deinde addet, *sed tamen oratione sunt dissimili,* quo paullum restringat, quod dixerat. Quod si *et tamen* diceret, non restringeret illud, sed plane elevaret et tolleret, ut jam non esset amplius primarium. Est enim illud *et tamen* idem, quod *nihilo minus.* Itaque 10 quum *sed tamen* metri caussa, *et tamen* autem propter sententiam dici non potuerit, quid aliud, quam neutrum admittendum esse, sed aliam emendationem quaeri debere judicabimus? Et quum tribus modis scribere

potuerit Terentius, aut *tamen* solum, aut *attamen*, aut sic, *ut tamen dissimili oratione sint factae ac stilo*, nemo facile erit, quin, nisi *tamen*, *attamen* praeferendum putet, quod non ita raro eadem potestate est, qua *verumtamen*, ut apud Cic. Ep. ad fam. VII. 26. Ac permutantur ab librariis *attamen*, *et tamen*, et *sed tamen*, ut apud Cic. de Fin. III. 15. §. 48. cujus loci propterea mentionem feci, quod interpretes neque disputationem illam, quae ibi est, satis commode explicuisse, et non recte istud *attamen* recepisse videntur, quod, quum longe maxima pars librorum *et tamen* habeat, in quod ibi vix quisquam librarius incidisset, magnam emendationis speciem prae se fert. Ego quidem si quid video, negligentia familiaris sermonis fecit, ut ista et intelligerentur male, et perperam interpungerentur. Quare sic ea interpungenda putem: *haec mirabilia videri intelligo: sed quum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed, quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere, et tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant, divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam ut ea contineant, non idem facere eas in virtute, neque in caeteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest.* Cohaerent haec ita: ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed non idem facere divitias in virtute censendum est: quod *censendum est*, quoniam latet in illo, *non est dubitandum*, omisit. Et sic etiam quae sequuntur, facilius videntur explicari posse.

Levius est alterum in prologo Andriae. Nam quod statim sequitur:

11 *quae convenere, in Andriam ex Perinthia*
fatetur transtulisse atque usum pro suis,

„quis fatetur?“ inquit: „an Menander? is enim nominativus in proximo est: adde igitur in fine versus, „*ex Perinthia hic.*“ At inane hoc argumentum est, quum recte pronomen omittatur, ubi res ipsa non sinit dubium esse, de quo sermo sit. Quare et hic isto additamento recte carebimus, et in Eunuchi prologo v. 31. ac Phormionis v. 4. Illud vero mireris, cur eam emendationem non fecerit in prologo Heautontimorumeni v. 11. ubi majorem videri potest offensionem habere haec omissio pronominis.

Sed videamus Eunuchi prologum, cujus statim primo versui manum emendatricem admovendam putavit. Ibi haec leguntur:

si quisquam est, qui placere se studeat bonis
quam plurimis, et minime multos laedere,
in his poeta hic nomen profitetur suum.

Hic *studeant* exhibuit. „Nisi enim *studeant* legeris,“ inquit, „inepte infertur *in his.*“ Itane vero? Immo nihil putem inconsideratius dici potuisse. Nam si inepte infertur *in his*, nisi *studeant* praecesserit, etiam *studeant* inepte inferatur necesse est, nisi *si quiquam sunt* praecesserit. Pergit autem: „*quisquam qui studeant*, plane ut And. IV, 1, 3. *cuiquam ut gaudeant.*“ Recte sane: sed dicendum erat, quare haec similia essent, quum facile dissimillima videri possint, si inter se comparentur. Sic enim ibi:

hoccine credibile aut memorabile,
tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
ut malis gaudeant, atque ex incommodis
alterius sua ut comparent commoda.

Non hic simpliciter *quisquam*, sed *tanta quisquam vecordia* commemoratur. Quod contra, *si quisquam est, qui placere se studeant bonis*, videri potest sic dictum esse, ut sit, si quisquam est eorum, qui placere se bonis studeant. Sic vero deesset pars necessaria sententiae. Deberet enim tale quid dici: si quisquam est 12

eorum; qui placere se studeant bonis; qui id recte, atque ex animo faciat, is est hic poeta. Sed, qui sic verba ista interpretaretur, vel erraret, vel argutaretur. Neque enim dubitandum videtur, quin recte illud dicatur, *si quisquam est, qui studeant*, ut id sit idem ac, *si quiquam student*, ideoque plane comparari possit cum illo, *cuiquam, ut gaudeant.* Nam *quisquam* etsi non est nomen collectivum, tamen sententia ut sit collectiva facit: quam plene si eloquare, talis est: si quisquam est, quales multi sunt, qui studeant: tantane cuiquam innata vecordia est, quanta sunt multi, ut malis gaudeant. Quamquam his omnibus nihil aliud efficitur, quam potuisse Terentium *studeant* scribere. Scripsisse vero, qui probabit? „Ubi Donatus," inquit, „*cum dixisset Cuiquam, intulit numerum pluralem:* „*ut alibi: si quisquam est, qui placere se studeat bo-* „*nis.* Ita quidem hodie editum est: sed luce clarius „est, Donatum hic legisse *studeant.* Priscianus p. 1099. „*Construuntur,* inquit, *diversi numeri: Terentius in* „*Eunucho, Si quisquam est, qui placere se studeant* „*bonis* etc. *Quisquam enim ad multos intellegitur:* „*quomodo in Adelphis, Aperite aliquis actutum.* Ubi „Putschius quidem *studeat* dedit, plane contra loci „sententiam. At testor ego me in quattuor Prisciani „exemplaribus *studeant* repperisse." Indignum vero, tantum virum ob tantillam rem ita se passum esse cupiditate abripi, ut ne a fraude quidem et fallacia auxilium petere adspernaretur. Cur enim tacuit, et Donatum isto loco, quem affert, ad Andr. IV, 1, 3. et Priscianum, etiam illum versum adjecisse,

in his poeta hic nomen profitetur suum?

Ex quo aperte consequitur, ut potuerint legere *studeant,* tamen non solum non luce clarius, sed potius valde dubium esse, id eos in libris suis habuisse, quum, ut pluralem et singularem conjungi ostenderent, illud *in his* adjiciendum duxerint, quo, si *studeant* legebant,

carere certe potuissent. Cur autem hic illud, nisi decipiendi lectoris caussa, tacuit Bentleius, et non ad Heaut. II. 4, 12. ubi plane ita, ut et Donatus et Priscianus videntur voluisse, scribit: „mutatio est numeri, 13
„ut Eun. Prolog. *si quisquam est — in his.*“ Ita omnis illa disputatio eo redit, ut nihil pro isto *studeant* protulerit, quam quattuor illos libros Prisciani, quorum non videtur permagna auctoritas esse, quum et postremum versum addiderit Priscianus, neque de isto *studeant* quidquam dixerit, et in his, quae de plurali dicit, verba *in his* potius spectasse videatur, ut qui Terentii locum cum hoc Sophoclis comparet in Antigona, v. 707.

> ὅςτις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
> ἢ γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
> οὗτοι διαπτυχθέντες, ὤφθησαν κενοί.

Sequitur statim apud Terentium:

> *tum si quis est, qui dictum in se inclementius*
> *existimabit esse, sic existimet.*

Edidit Bentleius *existimarit*, et hanc adscripsit parum consideratam adnotationem: „Plures ex nostris *existi-* „*mavit*, unus *existimabit*. Sane sententia ipsa futurum „postulat: *si quid in hoc prologo dicturus est incle-* „*mentius*. Legendum tamen, *existimarit esse*, *sic exi-* „*stimet*. *Si quis existimaverit*, ut v. 1. *siquis studeat*. „Donatus ad locum: *Existimat*, *pro Existimavit*. Cor- „rige, *Existimarit*, *pro Existimaverit*.“ Neque v. 1. scriptum est, *si quis studeat*, neque, si esset scriptum, comparari cum eo posset *si quis existimarit*: quod verbum hic manifesto non est conjunctivus perfecti, sed indicativus futuri exacti. Donatum autem quis credat tam inutilem adnotationem fecisse, *existimarit pro existimaverit?* Immo scripsit hic: *existimat* (sic enim legebat, et est hoc in aliquammultis libris) *pro existimabit*. Hoc ipsum autem *existimabit*, pro quo multi librarii vulgari errore *existimavit* scripserunt,

multo magis communi sermoni conveniens est, quam *existimarit:* ut appareat, nihil mutandum fuisse.

Mox dedit:

qui bene vertendo et eadem scribendo male, ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

„*Ex Graecis bonis.* Sic," inquit, „Faernus: sed *ex*
14 „priori versui apponendum: ut infra V, 2, 20. *quin* „*involem in Capillum.* Neque enim cum viro docto „tam facile corripuerim syllabam cum positione, tum „natura longam." Praepositionem istam priori versui jam G. Fabricium, Muretum, et alios addidisse, Reizius adnotavit. Et in his quidem nihil est quod hoc miremur. Bentleium vero nollemus, ut Hario contradiceret, fecisse, quod rectius, si quid video, non fecisset. Exemplum, quod affert, alienum est. Nam ibi cohaerent verba utriusque versus una perpetuitate. Hic vero interpunctio est in fine versus, et non cohaerent verba, ut ineptum videri debeat, praepositionem divelli ab nomine suo. Quod autem addit de correptione ejus, in eo ipse sibi repugnat, qui in Heaut. II, 4, 17. admiserit hanc correptionem in hoc trochaico:

ut ex illius commodo meum compararem commodum.

Et recte sane. Unde scribendum erat, si quidem signis quibusdam et notis indicanda pronunciatio est,

'x Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

Eodem modo Ennii verba disponenda videntur apud Cic. de Or. I. 45.

suarum rerum incerti, quos ego ope mea
'x incertis certos, compotesque consili
dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

In primo hujus fragmenti versu, quum vulgo legatur *mea ope*, mutandum fuisse ordinem verborum vidit etiam Car. Reisigius in Conject. in Aristoph. lib. I. p. 72.

Statim sequitur apud Terentium:

Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
atque in Thesauro scripsit,

et reliqua. Ibi haec adnotavit: ,,Donatus: *apparet* ,,*pronunciatum, quasi hoc ipso admonuerit spectatorem,* ,,*quam turpiter et imperite haec fabula scripta sit:* ,,Iterum: *Phasma: hanc fabulam totam damnat, ut* ,,*apparet, silentio; Thesaurum vero non totum, sed* ,,*ex uno loco.* Recte quidem haec: sed tamen, ut ,,nunc fertur, totus hic versus arena sine calce est: ,,nec cum prioribus, nec cum sequentibus cohaeret. ,,Equidem in Donato manuscripto hoc legi, quod in 15 ,,editis non reperitur: *item i. e. similiter.*" Hinc edidit, *item ut Menandri Phasma,* et confirmandae ei conjecturae affert II. 2, 33. et Heaut. III. 1, 8. Poterat multa afferre exempla: sed quo plura attulisset, eo facilius vidisset, frustra afferri. Nam *idem* est aliud quam *ita,* et *item ut* aliud quam *ita ut.* Nam *ita* significat, eo modo; *item* autem, eodem modo. Unde similia quum comparantur, recte dicitur *item,* ut Heaut. V, 4, 12.

non, si ex capite sis meo
natus, item ut ajunt Minervam esse ex Iove;

non etiam, ubi exemplum affertur, comprehensum jam iis, quibus, quia comprehensum est, est etiam simile. Cui rei significandae *ita* aptum est. Recte dicas: hic malas scribit fabulas: ita Phasma scripsit. Non recte dixeris: hic malas scribit fabulas: item scripsit Phasma. Contra non recte dices: hic male scripsit Phasma: ita Thesaurum; recte vero: hic Phasma male scripsit: item Thesaurum. Ex quo sequitur, alienum esse ab illo Terentii loco *item ut;* nec minus *item* sine *ut,* quemadmodum est in illa Donati adnotatione. Sed mittamus hanc observationem Donati, quae fortasse ne est quidem hujus, sed alius cujusquam adnotatio, *item* in corrupto codice legentis: quid illud est, quod

versum istum nec cum prioribus, nec cum sequentibus cohaerere ait Bentleius, imperiose hoc dictum est: minime vere. Nam quis nescit, hoc vocabulum *idem* natura sua nectendae orationi inservire, ubi quidem de eodem diversa praedicantur? Horatius: *informes hiemes reducit Iuppiter: idem submovet.* Et sic Terentius hic aptissime hoc vocabulo usus est ad connectenda, quae de poeta isto refert. Bene vertendo, inquit, ex Graecis bonis Latinas fabulas fecit non bonas, i. e. ut recte Bentleius, oratione parum Latina scriptas: idem Menandri Phasma nunc nuper dedit, atque in Thesauro posuit quaedam valde absurda. In Phasmate quid peccaverit iste, nescimus. Aliud certe, quam orationem non satis Latinam notari, apparet ex ipsa illa voce *idem.* Loquitur autem ut de re nota cum quadam contemptus significatione, ut colligi possit, hanc fabulam
16 aut non stetisse, aut certe valde displicuisse. In Thesauro autem apertum est non orationem, sed inventionem reprehendi. Itaque tantum abest, ut damnandum sit *idem*, ut videatur potius unice verum judicandum esse. Quin dubitari etiam illud potest, an ista Donati adnotatio, qua ad emendationem faciendam usus est Bentleius, etiam confirmet librorum scripturam: si quidem non inepte conjicias, Donatum sic potius scripsisse: *idem, i. e. similiter.* Quae non vocabuli, sed sententiae explicatio erit.

Versu 17. ita legebatur:

habeo alia multa, quae nunc condonabitur:
quae proferentur post, si perget laedere.

„Egregie," inquit, „codex C. C. *nunc quae condonabi-* „*tur*, sic enim et *nunc* et *post*, quae opponuntur, in „ictu ambo sunt, et *quae* non inchoat utrumque colon, „parum venuste." Codicis illius scripturam in textu posuit. At ea non egregia, sed pessima est. Illud quidem leve est et non dignum argumentum, quod quis refutet, quod ait parum venuste utrumque colon a

vocabulo *quae* incipere: quae res tanto minus offensionis habet, quod alterum *quae* in arsi, alterum in thesi est. Hoc vero, quod de oppositione verborum *nunc* et *post* dicit, tam est falsum, quam quod falsissimum. Re sane illa opposita sibi sunt: at pronunciatione et forma orationis non sunt opposita. Essent, si sic dixisset, *nunc quae condonabitur, sed proferentur post.* Et tum omnino sic verba collocanda fuissent. At non est ita loquutus, sed multo venustius, multo convenientius familiari sermoni dixit, *quae nunc condonabitur,* nullo ictu excitans vocem *nunc,* et finiens his verbis orationem. Post demum ei in mentem venit etiam aliquid comminationis adjicere: unde dicit: *quae, proferentur post.* Hoc *post* vero omnino in ictu poni debebat, quia opponitur illi *nunc* quod ante dictum fuerat: sed *nunc* quum dicebat, nondum in animo habebat ei aliquod *post* opponere: quare non poterat *nunc* illud ictu erigi. Falsa ergo scriptura est codicis illius, et argutae potius exilitati rhetoris alicujus, quam purae et simplici elegantiae Terentii conveniens.

Versu 25. in libris est: 17

Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam.

„Colax Plauti," inquit, „a Nonio Marcello citatur; „Naevi Colax nusquam memoratur: nam quae superiore „saeculo apud Nonium et Priscianum ferebantur tam„quam ex Naevii Colace, ea jam ex vetustioribus co„dicibus Novio tribuuntur. Mira vero locutio est, *esse* „*Colacem Naevi, et veterem fabulam Plauti.* Veterem „modo fabulam! an nullum ei nomen erat? et cur *ve*„*terem* de Plautinis, cum Naevianae essent illis vete„riores? Denique, si haec vera lectio est, in eo quo „accusat Luscius Terentium, etiam excusat. Quippe „si noster furatus sit personam parasiti et militis et a „Plauto et a Naevio, etiam Plautus suam a Naevio sit „furatus. Exemplo igitur ipso accusatio difflatur. Si „haec displicent, de correctione cogitandum erit. Co-

„dex bonus C. C. C. *Naevi Plauti* sine conjunctione *et*. „Fallor, an sic dedit Terentius:

„Colacem esse nempe, Plauti veterem fabulam:
„parasiti personam inde ablatam et militis.“

Et hoc in textu posuit. Captiosa haec, sed valde infirma disputatio est. De Plauti quidem Colace hodie etiam per Frontonem constat, qui vol. I. p. 80. tres ex ea fabula versus affert. De Colace Naevii autem quod ait, superbius simul et incuriosius pronunciatum est. Operae pretium certe erat, nominatim indicare vetustos illos Nonii Priscianique codices, quorum auctoritate Novio ea fabula adscribenda esset. Nam Nonii editiones antiquae Naevium nominant, cui Novii nomen Ios. Mercerus ex conjectura substituendum censuit. Nunc quum Novius Atellanarum scriptor fuerit, cujus fabulae fere omnes Latina aut Osca nomina habent, ut de perpaucis, quae Graecis nominibus sunt, quaerendum, an hujus poetae sint, esse videatur; quum porro Terentii libri omnes aperte Naevii Colacem exstitisse testentur; denique quum eam fabulam sub Naevii nomine semel Priscianus, saepius Nonius afferat, in quibus sicubi variat nominis scriptura, non valet hoc continuo ad abjudicandam a Naevio hanc fabulam, siquidem Naevii, Novii, Laevii, Livii nomina ubique commutantur: omnia nos eo videntur adducere debere, ut non Novii, sed Naevii fabulam
18 Colacem fuisse statuamus. Accedit quod fragmenta hujus fabulae, ut a Novii stilo non abhorreant, tamen ne quod a Naevio quidem alienum putari debeat, continent. Sunt autem haec. Apud Nonium in v. *prolubium* p. 64, 9. *Naevius in Colace:*

et volo,
et vereor, et facere in prolubio est.

Apud eumdem in v. *collum* p. 200, 24. *Naevius*: *cor utrum scapulae plus an collus calli habeat nescio.* Corrigunt: *Naevius Colace: utrum;* recte, ut videtur.

Versus, qui aut trochaicus fuit septenarius, aut jambicus octonarius, ita scribendus:

...utrum scapulae plus an collus habeat calli
nescio.

Apud eumdem in v. *protinus* p. 376, 11. *Naevius in Colace:*

...ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus protinam
me dedi.

Apud eumdem in v. *multare*, p. 462, 32. *Naevius Colace: et asseri laudes ago quum votis me multatis meis quod praeterquam vellem audiebam hoc mihi eminus.* Sic ed. Veneta a. 1496. nisi quod pro *Naevius Colace*, ut postea scribi coeptum, habet *Neuius*: *Colar* cum lineola super littera *r*, quae *um* notat. Aliae edd. pro *eminus* dederunt *Ennius.* Mercerus, qui Novii nomen reposuit, miris conjecturis tentavit hoc fragmentum, quas satius est praeterire, quum facillima mutatione corrigi posse videatur. Scribe:

et asseri
laudes ago, quum votis me multat meis,
quod, praeter quam vellem, audiebam hoc mi
eminus.

Loquitur aliquis, qui quum per asserem parieti sarciendo insertum e longinquo plus etiam, quam voluerat, audivisset, laudat asserem, per quem compos voti factus sit. Denique apud Priscianum sub finem libri IX. p. 874. ita legitur in ed. Putschii: *Naevius in Colace: qui decumas partes quantum alieni fuit polluxit, tibi a publicando epulo Herculis decumas.* Et in Naevii quidem nomine omnes, quos ego sciam, libri consentiunt. Alter cod. Lips. *quid* pro *qui.* Fortasse ita scribendum hoc fragmentum:

quid decumas partis? quantum mi alieni fuit, 19
polluxi tibi jam publicando epulo Herculis
decumas.

Quae verba erunt exprobrantis beneficia in parasitum collata. Vide interpretes Plauti ad Curc. II. 3, 79. Stich. I. 3, 81. Sed satis mihi videor Naevio asseruisse fabulam Colacem. Itaque revertor ad Bentleium. Qui quod dicit, miram esse locutionem, *Colacem esse Naevi, et Plauti veterem fabulam*, et quae porro de his verbis disputat, neminem arbitror tam hebetem esse, quin videat, de industria eum calumniari. Nam quis sibi persuadeat, non vidisse eum, sic verba esse jungenda, *Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam*. Immo bene vidit: sed sciens dissimulavit, ut haberet, quo scripturam suspectam redderet. Nam in illis nihil erat, quod reprehenderet, quum Luscius dixit, Eunuchum Terentii non novam, sed veterem fabulam esse; esse enim Colacem Naevii et Plauti. Veterem enim fabulam nemo non videt, non tam eam dici, quae multos ante annos edita sit, quam hanc, quae non contineat novum aliquod et non ante in scena visum argumentum. Sed pergit alio artificio confutare librorum scripturam, quum in eo, in quo accuset Luscius Terentium, eumdem simul excusare ait. Nam si Terentius furti accusetur, idem etiam Plautum fecisse, ut ab Naevio, qui se antiquior esset, argumentum istud furaretur. Esto vero, ut Naevium compilaverit Plautus: quid hoc ad rem? Furtum in Terentio reprehendit Luscius, qui, si idem etiam Plautus fecit, num laudabit hunc? immo aeque reprehendet, et non fuisse imitandum dicet: ut nihil hinc excusationis Terentio possit accedere. Omnino autem non de eo agitur, quid Plautus recte aut male fecerit, sed de eo, quod Terentius fabulam ediderit non novam, sed veterem, jam a Naevio, jam a Plauto tractatam: quae tanto gravior est reprehensio, quod non unus, sed plures jam idem argumentum in scenam protulerant. Ex his apertum videtur esse, nihil ista correctione potuisse infelicius excogitari.

Versu 35. ita scriptum videmus:

quod si personis isdem uti aliis non licet,
qui magis licet currentis servos scribere,
bonas matronas facere, meretrices malas,
parasitum edacem, gloriosum militem,
puerum supponi, falli per servom senem,
amare, odisse, suspicari?

In optimo libro Bembino primi duo versus ita scripti sunt:

quod si personis iisdem huic uti non licet,
qui magis licet currentem servum scribere.

Faernus, quod in posteriore versu est, *currentem servum*, argumento valde infirmo amplectitur: ut facile assentiamur Bentleio, pluralem ex caeteris libris, ut concinniorem, servanti, licet non ita eum tueamur, ut non etiam singularem illa si non grata at certe ne ingrata quidem licentia defendi posse existimemus. In priore autem versu Faernus, utra melior lectio esset, non audebat statuere. Bentleius vero, „atqui," inquit, „facile erat, utra melior esset, statuere. Recte *aliis*, „quia multi tum una florebant poetae: non *huic*, quasi „hic solus tum scriberet." Hic primo ipsum argumentum vituperamus, quia debile est; deinde, quod usus est eo argumento, quum aliud adesset melius. Ac debile est, quia qui de uno loquitur, ubi non opus est de aliis dici, non excludit eos. Atqui Terentius reprehensus fuerat, non alius. Itaque quidni interroget, cur sibi id non liceat? Sed meliore Bentleius argumento uti poterat. Nam repugnat quodammodo hoc pronomen *huic* sequentibus, quae quum aperte non de uno sint, sed de omnibus intelligenda, pronomine isto posito, ad hunc unum referenda videbuntur: ex quo haec nascetur sententia: si huic non licet iisdem personis uti, qui magis ei licet currentes servos scribere? Quod ineptum esse apparet, quia, quid sibi liceat, non suo debet, sed aliorum omnium exemplo ostendere.

Quamquam haec quoque speciosior, quam verior argumentatio foret. Adeo enim planum est, de omnibus poetis hic sermonem esse, ut, sive *huic*, sive *aliis* legatur, nemo haec verba aliter sit accepturus. Nisi paullo major, si *aliis*, quam si *huic* legitur, orationis est partium convenientia. Sed hujus convenientiae neglectio tam est propria familiaris sermonis, ut naturam ejus contineat. Itaque vel propter hanc ipsam negligentiam dubitari potest, an praeferendum sit *huic*.
21 Est vero aliud quod mireris a Bentleio, qui diligentissime solet ad numeros attendere, non esse animadversum. Nam in vulgata scriptura recte quidem et *isdem* et *aliis* in ictu est, *uti* autem extra ictum: sed quis tamen non sentiat, valde ineleganter hoc *uti* ita esse collocatum, ut, quum secunda syllaba elidatur, prima autem eum teneat locum, in quo brevius pronunciari debeat, totum verbum prope effugiat et vix aliquod sui relinquat vestigium? Contra, quod in libro Bembino est, plane exaudiri sinit verbum *uti*, quod nunc, ubi *alii* abest, recte sub ictum positum est, pronomine *huic*, uti debet, delitescente. Quod si hujus libri scriptura ad familiaris sermonis consuetudinem valde est accommodata, ad numeros autem etiam aliquanto, quam vulgata, elegantior: recte dubitari poterit, an sit praeferenda. Quumque haec dubitatio eo redeat, ut quaeratur, utra lectio facilius ab interpretibus ac librariis proficisci potuerit, non obscurum esse arbitror, si *aliis* scriptum fuisset a Terentio, non posse idoneam causam inveniri, quare quis, quod sponte intelligebatur, etiam Terentium his aliis comprehendi adnotaverit. At si ille *huic* scripserat, et tamen in sequentibus non de hoc solo, sed de aliis quoque poetis omnibus loquebatur, recte potuit observari, quum *huic* diceret, omnino eum intelligere poetas alios, quam qui jam personis illis usi fuissent.

Pergit Terentius v. 40.

denique
nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.

„Quinque ex nostris," inquit, „*non sit dictum.* Credo „poetam sic dedisse:

„*nullum est jam dictum, dictum quod non sit prius.*

„ut supra v. 27.

„*si id est peccatum, peccatum imprudentia est.*

„In utroque loco prius nomen est, posterius participium." Bene factum, quod hanc conjecturam non in textum intulit; male factum, quod reliquit in textu, *quod non dictum sit prius.* Et conjectura quidem ista non uno nomine mala est. Primo, quod ista duo exempla non possunt inter se comparari. Nam ut verbum in utroque idem repetitum sit; ut id verbum utrobique primo nomen, deinde participium sit: tamen 22
in altero paucissima sunt verba, quorum nonnisi duplex cogitari collocatio potest, aut illa, qua usus est poeta, aut haec, *imprudentia peccatum est.* Uterque planus est et commodus ordo verborum. In altero autem exemplo verba sunt multa, quorum tres bonae sunt et aptae collocationes: *quod non dictum sit prius: quod non sit dictum prius: quod non prius sit dictum.* Ineptae autem sunt, quaecumque a verbo *dictum* incipiunt, ut, *dictum quod non sit prius: dictum quod prius non sit: dictum prius quod non sit.* Ratio non est obscura. In principio enim collocatum hoc verbum oppositionem aliquam indicat et comparationem ad ea, quae non sint in dicendo posita. Tale quid enim intelligere cogimur: nullum est dictum, dictum quod non sit prius, sed cogitatum, sed factum. Atqui id alienum est ab hoc loco. Quod si necessario a verbis *quod non* initium fieri debet, cur, quod modo significabamus recte dici, *quod non dictum sit prius*, id hoc

loco non est probandum? Propterea, quia, quum idem verbum iterum ponimus, si id repetimus eodem modo, eadem vi, eadem mente, pronunciandum est etiam eadem vocis ratione: ut in Adelphis IV, 5, 62.

M. bóno animo es: ducés uxorem. AE. hem. M.
bóno animo es, inquám. AE. pater.

Sed ubi repetiti verbi vel major est, vel minor vis, vel quocumque denique modo alia ratio, etiam pronunciari debet aliter. Ut in illo,

si id ést peccatum, péccatum imprudentia est.

In Eun. I, 2, 122.

et quicquid hujus féci, caussa virginis
feci.

Heaut. I, 2, 28.

paterétur: nam quem férret, si paréntem non
ferrét suum.

V, 2, 23.

nil succénseo
néc tibi, nec tibi: nec vos est aéquom, quod
fació mihi.

Eodemque modo, si alia persona id verbum repetit: ut Adelph. IV, 5, 65.

M. ábi domum, ac deos cómprecare, ut úxorem
accersás: abi.

23 *AE. quid? jam uxórem? M. jám. AE. jam. M.*
jam quantúm potest. AE. di mé pater.

Quod si nonnulla in contrariam partem exempla videbuntur afferri posse, reputandum est, etiam eodem ictu pronunciata vocabula tamen sibi dissimilia reddi, si alterius ictus prior, alterius posterior sit dipodiae, ut in Andr. III, 5, 11.

miserum impeditum esse? D. át jam expediam.
P. expédies? D. certe, Pámphile.

Illud vero perperam, quod in eadem scena suo judicio Bentleius dedit v. 8.

nec quid me nunc faciam, scio. D. nec quid me, atque id ago sedulo.

Vulgo in Davi verbis, *nec quidem me.* Eleganter codex Lipsiensis:

nec quid nunc me faciam scio. D. nec me quidem, atque id ago sedulo.

Iam ut redeam ad illud, *nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius,* non potest haec verborum collocatio reprehendi, si haec sine metro tamquam prosa oratio proferuntur: quia tum repetitum hoc *dictum* sine ullo ictu pronunciatur, et potius in ultimo vocabulo vox erigitur. In versu vero eadem prava erit dispositio, quia in utroque membro eadem hujus verbi *dictum* syllaba non modo ictum, sed etiam eumdem ictum dipodiae habebit. Ex quo intelligitur, recipiendum fuisse, quod quinque illi codices praebuerunt, quibus noster accedit Lipsiensis liber, *quod non sit dictum prius.*

Denique ne postremi quidem versus hujus prologi sine levi quadam animadversione dimitti poterunt.

Date operam et cum silentio animum attendite,
ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

Observat Faernus, in antiquis libris non esse copulam *et,* quae est etiam in cod. Lips. omissa. Bentleius servavit eam: libri ipsius utrum haberent, an non haberent, non indicavit. Fateor non multum interesse. Attamen non temere spernenda est librorum auctoritas, praesertim si alia eam similia exempla confirment. Videtur autem haec locutio, *operam dare,* adjecto sine copula alio verbo, non per se esse intelligenda, sed 24
cohaerere cum his, quae sequuntur, unamque cum iis sententiam efficere, ut *date operam, animum attendite* sensu idem sit, ac, date operam, ut attendatis animum. Ita in prologo Phormionis v. 30.

date operam, adeste aequo animo per silentium

In Eunucho II. 2, 50.

tum tu igitur paululum da mi operae, fac ut admitta

ad illam.

Et apertius II. 3, 71.

faciam sedulo, ac

dabo operam, adjuvabo.

Quae ibi omnium est librorum scriptura. Sed Bentleius, qui ad hunc usum non attendisset, ut per asyndeta fortius incederet oratio, ex conjectura posuit: *faciam sedulo, dabo operam, adjuvabo.*

Videtis, Candidati humanissimi, quam multa sint in Bentleii editione Terentii, quae confirment nostrum illud de ea, quod supra posuimus, judicium. Attulimus autem haec eo fine, ut, si nemo est, quem iis, qui recte antiquitatis studia tractare volunt, magis tamquam exemplum, quod imitari debeant, proponi posse existimamus, tamen simul eos moneremus, ne temere tanti viri auctoritatem sequuti in eos errores inciderent, ad quos vitandos idem, si quis eum recte et cum justa libertate judicii imitetur, optimus esse et certissimus dux reperiatur.

INDICES
SCRIPTORUM, RERUM
AC
VOCABULORUM.